
P. THOMÆ STROZÆ NEAPOLITANI
E Soc. JESU

POËMATA VARIA

SERENISSIMO PRINCIPI
JO: GASTONI MEDICEO
Magni Hetruriæ Ducis Filio.








NEAPOLI 1689. Ex nova Officina
Dom. Ant. Parrino, & Michaelis Aloysii Mutii.

SVPERIORVM PERMISSV.



H. V.

SERENISSIMO PRINCIPI

IOANNI GASTONI

MEDICEO

Magni Hetruriæ Ducis Filio.



Bstupuit Terrarum Orbis, GASTO Princeps Serenissime, quùm Galilæus, nova tubi machinà, Mortalium oculis Cœlum propiùs ad-

movit. Par Italiam omnem invadit stupor, cùm fama index Hetruscam Aulam eminùs contemplandam explicat. Idē quippe utrobique spectaculum: Medicea nimirum sydera, quæ splendido veluti satellitio Jovem suum ambiūt; adeò ut vel Cęlum terris, vel terras Cęlo transcriptas autumet. Et verò si numerum spectes; quatuor utrumque Jovem stipant lumina: si Sedem, suggestumque; ut illa altiori in sphærà, hæc Italiæ in culmine: si majestatem; Illis natura, his regnum non natura duntaxat, sed virtus detulit. Par utrisque nitor, paria in homines beneficia, par omnium cultus, & admiratio. Fuerit hactenus fabula, ma-

gnas

gnas Heroum animas in ſtellas verti; credet Orbis vel ſydera in Mediceos Principes, vel Principes in Medicea ſydera tranſiiſſe. Equidem ut felicem hunc Italiæ horoſcopon venerabundus ſuſpicio; ita Te mihi in primis contemplandum propoſui, Gaſto; *vel quòd tantulâ in ætate tantum virtutis robur admirationem magis excitet; vel quòd ex ingenii tui luce, propitium Te literis ſydus auguror; vel demùm quòd laudes tuæ in domeſtici sāguinis venam æſtu velut reciproco altiùs refluant. Qui adoleſcentibus libros inſcribunt, ſatis habent, ſi ſpem in ipſis, atque indolem, ac primas virtutum gemmulas commendent, &*

 præ-

prætextatis veluti laudibus ornẽt; adeòque in Majorum, ac familiæ decora latiùs excurrunt; ut ſurculum vix floſculo comptum, totà gentilitiæ arboris ſylvà æſtimandum proferant. Amplum Tu mihi Theatrũ unus explicas, quò Tibi nõ alienas laudes appingam, ſed tuas deferam. Patere, Princeps humaniſſime, ut modeſtiam tuam vulnerem; & quando Te non tam Tibi, quàm Orbi dedit natura, liceat mihi ſuffuſo genis tuis ſanguine, Orbi prodeſſe; ut ingenito hoc virtutis colore, vitiis vel pudorem inferam, vel convitiũ. Haud ſanè in Te laudes congero, ut laudem; ſed ut Principum adoleſcentiæ, Principem Juventutis exemplar ſtatuam: publici

præ-

prævaricator boni, si taceam. Naturæ in Te, ac virtutis decora famæ noscenda propono; quæ cum Tibi Deo auctore contigerint, injurius profecto sit Numini, qui ea silentio premat: haud illi impar, qui dicatum Numini simulacrum infodiat. Habeat igitur fama, quæ vulget ex vero Principis decora; quando vel arcana, vel ficta Principum probra pronis hominum auribus insusurrat.

Contendit planè Virtus, ac Natura, ut fortunam tuam, vel æquarent, vel vincerent, ac Te hujus fastigio altiùs efferrent. Et verò utriusque non conatum modò, sed votum, opus implevit. Fortunæ indulgentiam occupavit Na-

tura : hæc te prior Principem finxit; adeò ut peccasse illam censeremus; nisi Principis in Te insignia contulisset. Eum scilicet corporis habitum, eam Te præferre mentis indolem voluit, ut omnium animos facile in servitium asseras, nativoque imperii jure, omnibus imperes. Nam quis adeò truncus, ac stipes sit, quem vel primo aspectu ad Tui obsequium non cogat elegans iste oris cum majestate lepos, cum lepore majestas, ac numeris omnibus absoluta totius corporis forma? Quid excelsa animi indoles, ac blandè vivax ingenium? Hominum animos; aureos alios, ad imperium; alios argenteos, ad obsequium; ferreos alios, ad ser-

servitium à Natura factos non inscitè finxit Plato. Tibi planè ex aureà, eàque splendidiore venà animum contigisse, mentis index vultus prodit; hìc enim velut è throno eminet suo. Quò se Tibi vel ad obsequium, vel ad servitium facilè subdant, qui Te sibi Naturæ vel munere, vel suffragio præesse intelligunt.

Quæ omnia, & si planè abessent, satis Tibi ad formam satis ad animorum auctoramentum, Virtutis decor. Nam quantus in genis pudor! quãta exporrectà in fronte Serenitas! quanta in supercilio lenitas! quanta in oculis modestia! quanta in toto vultu liberalitas! Ut planè videaris Mediceum Sydus totũ

hau-

hausisse Jovem. Quæ quidem corporis, animique decora, & si ipsorum censu mira sint; vel ipsam sanè admirationem vincunt, quòd in Te nec Fortunæ, nec Adolescentiæ confinio læduntur. Et verò quàm facilè Naturæ muneribus abutitur adolescentia! Hæc enim suo veluti œstro vivax Juvenum ingenium, vel in illecebras, nugasque, vel in levissima studia, voluptatis lenocinio, abripit; Quin & egregiam quoque indolem transversam agit, & ingenitæ virtutis igniculos vel fervidi sanguinis aspergine, vel afflato alieni oris contagio extinguit. Quidquod & vitia non rarò æstuans illa ætas despumat, quæ fœcundiori naturæ fundo

ube-

uberiùs profluunt ; tum maximè cum plures adſunt, qui ea ætatis patrocinio tuentur, & poſitum à natura ſceleribus aggerem auferunt: Verecundiam. At Te Juvenem nemo, niſi qui è genarum flore ætatis tuæ ver æſtimet, facilè ſibi perſuadeat. Quæ enim vel canitiē ipſam decorant, in conſiliis prudentia, in animi motibus moderatio, in verbis maturitas, in inceſſu gravitas, exactus denique ad decori normam rebus in omnibus modus Te unicè exornant; adeò, ut quod non niſi raro Orbis ſuſpicit, id palam omnibus præferas: ſenilem adoleſcentiam; Non illam quidem, quæ Naturæ potiùs vitio, quàm virtutis robore, levem ſeſe

in

gnitati. Blando ōnes affatu, leni omnes supercilio excipis; adeò ut nemo Te propiùs norit; quin, Italiæ delicias, prædicet. Principem exuere videris; sed tùm maxime Principem induis; Nam, quod de Gallico Hercule dictum, aureas ex ore catenas evolvis, quibus non aures modò, sed hominum animos nectis: Amoris scilicet vinculo, quo ut nihil leniùs, nihil etiā robustiùs alligat.

Illud verò præclarissimum, quòd non homines modò, sed Superos Tibi in primis religione, ac pietate devincis, eòque excellis maxime, quòd Te Deo unicè subiicis. Id planè Mediceum Te sydus probat; nam Cęlo mente, animoque inhæres, ac

Pie-

Pietatis officia æquabili semper cursu sedulus exples. Debes hoc Numini, qui luce Te afflat suà: debes Parēti Optimo, quem ut Jovem tuum splendidus assecla non sequeris modo, sed æmularis. Complexus ille animo est virtutes omnes, vel quæ hominem decent, vel quæ Principem ornant; atque ad earum normam, & sibi, & Populis imperat. At omnibus excellit Pietas: hæc illi è vultu: hæc è moribus, atque assiduo Superum cultu emicat, ut spirans in eo Numinis simulacrum agnoscas, quo vel ipsam dedicari aulam credas; abiectaque veteri Parœmia certiùs asseras: Hetruscam Iubeat Aulam qui vult esse Pius. Illum Tu

assi-

assiduè intueris, Gasto, *& non admonita quidem; namque ea prævenis: non ad nutus; namque hos etiam anticipas; sed ad Sanctos, castosque mores Te ipsum fingis, ut quemadmodum cum Fortuna, ita & inter se certare Natura, ac Virtus videantur*: U*tra in Te Patrem magis exprimat; sed planè conseruere manus, nam quod altera adumbravit, perficit altera. Adeò ut qui laudes tuas paucis complecti voluerit, hac una omnes efferat: si Te absolutum Patris exemplum dixerit.*

Ad hæc animi, corporisque ornamenta, literarum decus accedit, quod vel Reges supra Regium ipsum stemma augu-

gustiùs evebit. Et vero quis efferat satis, quanto in illas amore æstuas? Planè Alphonsi Aragonii in Te mentem animadverto, qui regno quàm literis carere maluisset; Fortunà etenim tuà potius, quàm iis exui velles. Critolai scilicet lance humanæ mentis decora expendis, eaque tantò cæteris hominum bonis præstare intelligis, quantò rebus omnibus, Divinitatis fastigio accedens, animus excellit. Hinc ardens illud in Magistros tuos studium, quibus vel Seneca aliquis, vel Burrus invideat; maximum scilicet illis minerval obtigit: Amor tuus. Hinc illa sapientium virorum laus atque æstimatio, qui abs Te honestissimè habiti, stoi-

co illo in aulas convicio abstinent, quòd in iis scurræ potiùs, quam sapientes in pretio sint. Equidem Salomonis Te- indolem præferre dixerim; sapientiæ nimirum amore captus; hanc unicè deperis: cætera omnia præ illà splendido contemptu despicis. Hoc dispar, quòd Salomoni quidem per somnium otianti obtigit, Tu illam Tibi vigiliis, laboribusque, dotali veluti censu despondes. Nam, quod in Adolescente, ac Principe insolens, & mirum, dies omnes, eosque solidos literis impendis, & modò chartis impallescere, modò viros eruditione præstantes alloqui, modò Præceptores audire Tibi ludus est. Adeò ut domesticos ipsos

non

non nisi bonis artibus egregiè imbutos velis, qui ingenio potiùs, quàm corpori famulentur: quò Musas omnes non peregrè exquiras, sed veluti servitio addictas domi concludas. Inde felix ille, atque expeditus in disciplinarum omnium stadio progressus; lauta eruditionis è sacræ prophanæque historiæ, ac Sanctorum Patrum lectione supellex: firmior, eaque altior è cultioris Philosophiæ, ac Matheseos penetralibus doctrina: exacta non latini modo sermonis, sed exterarum etiã linguarum peritia: optimorũ, primæque notæ auctorum non cognitio duntaxat, sed crisis. Quibus omnibus ita emines, ut superbire aliquando potuerit Italia,

quùm vel exteras gentes in Tui admirationem defixas vidit. Extulit se quidem Illa, quùm nuper Hetruscam aulam Britannici Regis Legatus à Te exceptus subiit. Licet enim omnia ad majestatem splendidè composita suspexerit, nihil adeo anglicum supercilium defixit, ac Tui conspectus. Ut enim in unionibus miraculo est, in arctum contracta, naturæ Majestas; ita veluti contracta sapientiæ Majestas, & maximum exiguà in ætate virtutum decus admirationem extorsit. Audiit Ille abs te Anglicos hujus ævi Auctores non recenseri dumtaxat, sed censeri; eorumque characterem, stylum, sententiam, philosophica præsertim in-

ven-

venta ad exactæ mẽtis trutinam expendi. Quod impensè miratus, non illepidè dixit: optandum planè, ut delicatulus Princeps eò ad conficiendos cibos valeret stomacho, quo ad concoquendas literas pollet ingenio; mirum scilicet videri sibi, Te quùm tam multa, eaque ardua congeras, omnia ad nutritium doctrinæ succum tam probè digerere. Quod sanè, cum sine valetudinis tuæ dispendio fieri nequeat; tam enixè rogandus oppidò es, ut tibi à literis temperes, quàm acriter cæteros adolescentes ad literarum studia exstimulamus. Quò fit, ut ipsum, quod unum splendidè præfers, vitium, etiam cum arguimus, laudare cogamur:

Sapientiæ ſcilicet intemperantiam; quà tamen factum, ut Sereniſſimus Parens tuus Piſanam Academiam, ſub patrocinii tui umbrà locarit; quùm enim in dies ſcientiæ luce adoleſcas; è tanti ſyderis aſpectu ampliora Sapientiæ incrementa magno illi Athenęo afflari in poſterum poſſe, meritò credidit.

Porro ex his omnibus augurari haud ex vano licet, quantum Te maturiori in ætate Orbis ſuſpiciet, quem tantum in adoleſcentia miratur. Jam exteras Gentes tui nominis famà ſolicitas, & quando Medicea ſydera peregrinari Suo e Iove norunt, ſperant aliquando fore, ut oculos vultu expleant tuo; nec poſt-

mo-

modum famæ de Te, sed sibi credāt; Imo, & famam arguant, quòd licet magna, vero tamen minora vulgarit. Fallor, an spes suas demum impleri, sibi gratulatur Italia? Jam hæc prœlo vulganda dederam; quùm Te Italas plarasque Urbes, quà pietatis in Laurētanum Virginem, quà officii causà obire audio. Est plane quod mihi ex hisce nunciis gratuler. Jam enim me nullo adulationis fuco Principem adumbrasse, noscet Italia, quùm Te famam præsentià vicisse animadvertit. Plus enim de Te, tuo ex aspectu, didicit; quàm ex rudi hac tuæ mentis, corporisque imagine. Habent hoc suà è luce sydera, ut se eloquentiùs prędicent, dum

videntur, quàm cùm ea exaggeratis ad laudem pręconiis vel fama effert, vel eloquentia; auctiùs igitur Te laudas, cùm ostendis: auctiùs spem excitas, dum prodis. Et quando è syderum aspectu, posituque potissimum divinamus. Jam Roma, dum Te propiùs aspicit, ex animi tui magnitudine augustius aliquando Vaticanę purpuræ decus augurator. Jam alterum sibi Clementem, Leonem alterum adolescere gaudet, ac Religionis, bonarumque artium incrementa tanto auspice vaticinatur. Jam sibi quantus est Terrarum Orbis plaudit; tuo enim ex itinere, non unius regionis angulo, sed regnis omnibus natum

splen-

ſplendidum primę magnitudinis ſydus credit.

Nec vanus ipſe mihi ſim augur: quùm enim me Tibi ſupplex ſiſtam, ut patrociniũ tuũ implorē; haud vereor, ne mihi ad decus lux tua deſit, quę omnibus proſtat; vel humanitas ad gratiam, qua arrides omnibus. Principum Flori collectos è Pindo fleſculos dico. Ne florum fato una illos dies aperiat, una conficiat; tui ſyderis afflatu indigent. Si reſpexeris, amaranthos credam. Patere igitur ut tuo ſub nomine in lucem prodeant; Jam Oedipo non erit opus, ut omnes intelligant, quibus in terris, inſcripti nomina Regũ, naſcãtur flores. Suũ, & ipſos habere ge-

genium libros novi ; ne huic desit, geniali illum sub sydere statuo. Quin, & observātię pignus meę literario hoc munusculo Tibi defero : tenue illud quidem, at tenuis etiam auctor ; illum tamen benigno sępe aspectu , atque affatu dignatus es ; quid ni eandem opusculo suo gratiā impertias? Hoc Magni Principis fastigium est ; ut nihil illi magnum inferre ad obsequium possis; At hęc etiam humanitas , qua Deo accedit , ut magnum ducat , quod paupere dat manu dives voluntas . Exiguas olim ille aquę guttulas magno Regi cavà obtulit manu: at Regiam plane gratiam retulit ; tenuem Ego hunc Hippocrenis laticem defero : abun-

abunde est mihi, si non ex censu, sed ex animo ęstimes; idque unum, Mediceum mihi sydus indulgeat, ut respiciat. Hoc rogat.

Serenit. Vestrę

Humillimus, atque omni obsequio
addictissimus Servus
Thomas Stroza.

ILLVSTRISS. E REVERENDISS. SIG.

IL P. Tomaso Strozzi della Compagnia di Giesù espone à V.S.Ill.come desidera dare alle Stampe un opera intitolata *Poëmata Varia* per tanto la supplica di commetterla alla solita revisione, che l'haverà à gratia ut Deus.

R.P. Dominicus Iameus Soc. Iesu videat, & referat in scriptis hac die 29. *Maii* 1688.

Sebastianus Perissius Vic. Gen.

Illustrissime, & Reverendissime Domine.

IVssu Dom. Vestrę Illustrissimæ vidi librum qui inscribitur; *Poëmata varia* à P. Thoma Stroza è Soc. Iesu elegantissimo stylo exaratum; & nihil in eo reperi, quod sanę Fidei, vel bonis Moribus refragetur, immò eo pollet nitore, ut Castalidas verè castas, & Poëticen syncerè candidam offerat: dignissimum itaque censeo, qui typis, & Immortalitati mandetur; si & fuerit Illustris. Dom. V. Mens Neapoli 12. Augusti 1688.

Domin. Vestræ Illustriss.

Omni Obsequio Addictiss. Famulus.

Dominicus Iameus è Soc. Iesu.

Imprimatur, hac die 14. *Augusti*. 1688.

Sebastianus Perissius Vic. Generalis.

EC-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

IL P. Tomaso Strozzi della Compagnia di Giesù supplicando espone à V. E. come desidera dare alla luce un Operetta sotto il titolo *Poëmata varia*, per tanto supplica V. E. ordinare, che si cometta la revisione di quella à chi meglio le parerà, che l'haverà à gratia ut Deus.

R. P. D. Franciscus Maria de Aste videat, & in scriptis referat.

Carillo Reg. Soria Reg. Moles Reg. Miroballus Reg. Iacca Reg.

Excellentissime Domine,

Librum R. P. Thomæ Strozzi è Soc. Iesu qui inscribitur *Poëmata varia*, Excellentiæ vestræ mandatis obtemperans attentè percurri, nil regimini Politico, aut Regiæ Iurisdictioni adversans animadverti: imò ita cum ingenio, & pietate congruere; ut non parum utilem fore arbitrer poeticæ artis studiosis; idcirco typis dignum autumo. Datum Neapoli in Ædibus Sanctæ Mariæ Lauretanæ Kalendis Septembris 1688.

Excellentiæ Tuæ.

Addictissimus Servus,
D. Franciscus Maria de Aste.
Regii Collateralis Theologus.

Visa suprascripta Relatione imprimatur, verum in publicatione servetur Regia Pragmatica.

Soria Reg. Moles Reg. Miroballus Reg. Iacca Reg.
Spectabilis Regens Carillo non interfuit.

Anastasius.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

CUm Opus cui titulus: *Poëmata varia* à P. Thoma Stroza Societ. noſtræ compoſitum, aliquot Societatis Theologi recognoverint, atque in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate ad id nobis facta à R.P.N. Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali, facultatem concedimus, ut Typis mandetur ſi iis ad quos ſpectat ità videbitur. Datum Neap. 22. Kal. Octob. 1688.

Octavius Caracciolus.

DE
MENTIS POTV
SIVE
DE COCOLATIS OPIFICIO
Libri Tres.


IN HEXAMETRIS.

Errata	Corrige.
Pag. 18 cedite	cædite
18 pallesque	vallesque
24 incendio	incendia
37 ethereus	æthereus
38 erithræi	erythræi
54 rauces	fauces
62 querelum	querulum
63 intextina	intestina
107 quis promicat	quæ promicat
109 Gharites	Charites

IN ELEGIACIS.

Errata	Corrige.
Pag. 25 sustinere	sustinuere
27 exijt	exilijt
63 absinthia	absynthia
67 æoo	eoo
89 onix	onyx
175 inacesso	inaccesso

DE



DE COCOLATIS
OPIFICIO
LIBER PRIMUS.

QVæ pariat glandes arbor, quo ſemine tellus
Fæta, peregrinas læto ferat ubere fruges,
Queis tumido ſpumant Cocolatis pocula ſucco:
Quo ſint hæc miſcenda metro, qua lege paranda;
Et quos Mexiacum ſervetur Nectar in uſus,
Hinc canere incipiam. depexum inſternite Vati
Alipedem, muſæ, quo vectus, litora, & omnem
Oceani tractum, fremitúſque, & monſtra per auras
Exuperem, terraſque alio ſub ſole calentes
Correptus Phæbi non vano Numine luſtrem.
Intentatum alijs ſtat opus tentare; repoſto

Pandite in orbe ſinus, ac cæptum flectite curſum.
Hùc ades, ò, gravida Magnæ quem Matris ab alvo
Excepere ſinu Charites, cui lactea Virtus
Pabula, & æthereos infudit pectore rores,
Magne Puer, magno prognatus ſanguine Regum;
Queis ſatus, Ipſe Tibi, potiori fædere, Hetruſcos
Francigenum ſocias auguſtis floribus Orbes,
Huc ades ò, GASTO, & noſtris bonus annue cæptis.
Nam quis Te potior trepidis ſit Vatibus auſpex:
Scilicet excelſo geſtas ſub pectore Magnos
LAVRENTES, COSMOSQVE, & celſa mente LEONES,
Quorum felici ſub ſidere ſerior ætas
Fudit & ipſa novos, Phæbo plaudente, Marones.
Quin & Te multa radiorum aſpergine Phœbus,
Te multo indulgens fæcundat Numine Pallas,
Muſarumque chorus merita Tibi tempora lauro
Implicat, ac tanto gaudens ſe jactat alumno.
Ilicet ingenio præcox, & moribus annos
Prævertis; nec ſpe tantùm Te ſuſpicit Orbis.
Ergo age, ſepoſiti quando Tibi culmina Pindi,
Pieridumque patent aditus, Vatumque receſſus,
Tu faciles Vati meditata ad carmina muſas
Allice; ſi nutu præeas, te ponè ſequetur;

Se-

Seque novo duci gaudebit Apolline Clio .
Quòd mihi majori tumeat ſi pectus ab œſtro ,
Auſim grandiloqua feris tua prodere ſeclis
Geſta tuba, & famæ vires augere canendo ;
Seu te caſtra vocent; ſpoliiſque inſtructus opimis ,
Laurigeros referas Othomano ex hoſte triumphos;
Seu Vaticani præcinctum ſyrmatis oſtro,
Te ſeptemgemini tollant ad ſidera colles.
Interea gracili deductum carmen avena
Excipe, nam tenui gaudent vel munere Reges,
Cœlicolaſque canit, vel agreſtis fiſtula Divos .
Quà Sol emeritas,devexus ab axe,quadrigas
Solvit , & occidua languens ſe lampade mergit ,
Biſgemino præcincta mari procul eminet , Iſthmo
Impoſita, & lętis aperit ſe Mexicus arvis ;
Litoreo curvata ſinu, cui plurima circum
Inſula,ſepoſitos obvallans aggere fines,
Oceanum tumidis equitantem fluctibus arcet .
Hìc noſtro procul orbe, & noſtris cognita nuſquam
Hactenùs Agricolis exotica provenit arbor ,
Vna, ſed effuſos prætexit germine campos .
Illa refert citream ramis, ac ſtipite Malum ;
Aſt ſibi majori porrectas margine frondes

Explicat, atque aliis vernans se floribus ornat,
Educitque alio prognatos semine fætus.
Olli curvatis pendent vegrandia ramis
Poma, pari pepones quæ mole, nec impare ductu;
Et multis referunt rugoso cortice sulcis.
Hæc simul inciso diffindas tubere, plexis (a)
Ceu pepones, inserta dabunt sua semina fibris;
Dispare sed forma; nam longè crassior illis
Nucleus est, tenuique latet sub tegmine pellis;
Haud secùs ac duro lectæ de robore glandes,
Queis gracilis modico tenuatur acumine mucro.
Quin color & peponi dispar; nam murice cortex
Imbuitur, vivo saturantur murice fibræ;
At pulla baccæ livent ferrugine; postquam
In scrobe, multiplici divisum segmine, pomum
Marcuit, & fuscum leviter duxere colorem;
Hæ porrò leni pinguescunt unguine, qualis
Appula, quæ lętis adolescit amygdala campis;
Vsque adeò, ut tenerum presso de semine florem
Eliciant, scabrum quo mulcent furfure vultum.
Iam fructus aqueo turgent humore; sub umbris
Progenitos, pleno lactat quos ubere radix,

Hu-

(a) *Ex Franc. Hernandez relationib. apud Recchum.*

Humentesque fovent limosa uligine glebæ.
Omnibus est idem, libes si fragmina, succi
Et sapor, & genius; nam cortex, semina, fibræ
Tuberis austero perstringunt guttura morsu
Hispida, nec molli sapiunt subamara palato.
Indica vox, Italas turpi quæ polluit aures
Fœda sono, plantam, pomumque, & condita signat
Semina, deliciasque gulæ dixere Cacaum;
Aucto seu potiùs, Cacavatem, nomine. Sic est
Haud rarò imponunt vocum ludibria: turpi
Optima sæpe latent fœdi sub nominis umbra:
Sæpe alias operit speciosum turpia nomen.
Nomen idem, multo sed se discriminat ortu (a)
Luxuriatque arbor pompa sibi compare dispar.
Scilicet, aut alio positum sub sidere; certo
Aut potiùs terræ ingenio, genus omne Cacai
Bis geminam præfert variato germine formam.
Prima suos gravido profert quæ stipite fætus
Progenies, trunco potior, ramisque superbit
Altiùs, & fructu turgens se jactat obæso,
Majoresque fovet pomi sub cortice glandes.
Altera nec ramis primam, nec frondibus æquat;

(a) *Ex Nardo Reccho rer. med. nov. Hisp. l. 3. c. 46.*

Et nucleis pomiſque minor, ſed proxima ſurgit.
Provenit huic propior demiſſo menſa gradatim
Ordine, purpureas ſed gignit tertia baccas.
Vltima vix humili tollit ſe pumila trunco,
Collectamque brevi fundit de caudice pompam;
Aſt longè ſociis præſtat, nam ſemine fæta
Præcipuo, tenuis penſat diſpendia molis.
Scilicet huic potior nativi gratia ſucci eſt,
Quo genuina uno Cocolatis pocula gaudent.
Sæpe adeò major parvo latet abdita virtus
Corpore, & ingentes torpent ſine viribus artus.
Omnibus eſt eadem facies, atque omnibus idem
Gentis honor plantis, & eodem ſidere lętæ
Luxuriant, umbriſque tegunt felicibus hortos.
Ceu prognatę una quatuor de Matre Sorores,
Diſparibuſque pares formis, quas gratia vultus,
Quas color, & fuſus per lactea colla capillus,
Et geminæ jungunt veſtes; ſed moribus omnes
Ingenium, ac variis ętas diſcriminat annis,
Et dat inęquales evolvere corporis artus.
Hinc parili gaudent cultu, paribuſque beatę
Proveniunt agris; omnes namque humidus aer,
Vmbroſęque juvant valles, ac pinguia terræ

Vbera, & undoso pręgnantia jugera limo.
Est aliud, nulla cultum quod provenit arte,
Degeneri de stirpe, genus Sylvestre Cacai.
Scilicet è spurio plantis gens plurima fœtu
Obvenit, ingenuam simulat quę germine prolem.
Hinc parit agrestes tenuis labrusca racemos,
Prętexitque nemus baccis oleaster amaris,
Et neglecta notha pendent ex arbore mala:
Propudium generis deserti dedecus arvi.
Sic mentita genus soboles infausta Cacai,
Agrestes ramos, agrestia tubera, semen
Agreste emittit, nullo cui dulcia flore
Admixto, immitem commendent sacchara succum;
Ni forte excisum felici ex arbore ramum
Sylvestri adjungant, sectoque in caudice fixum,
Vt mos est, udo doceant inolescere libro;
Nam tum forte suos cognato fędere mores
Dediscet, natosque novo de germine fętus
Dum nutrit, potiore dabit mitescere succo.
Nunc quæ prima solo radicibus hęserit arbor,
Et qua fixa manu, lętis adoleverit agris
Expediam, nam lapsa polo dum panderet Eos
Prima diem, vero cecinit mihi carmine Clio.

Poſt Aſiam bello domitam, poſt rapta Tyrannis
Stemmata, poſt centum Genteſque, Vrbeſque ſepultas;
Bizantj imperium, Europę lugente Theatro,
Ille hominum, regnorumque inſatiata charybdis
Hauſerat, inſano Mahometes impius ęſtu,
Totaque Biſtonidum parebat Gręcia ſceptro.
Quùm ſubito ſcythicis invecta phalangibus, omnes
Barbaries latè pervaſit inhoſpita fines,
Evertitque omnem, nativa è ſtirpe revulſum,
Quo gens, quo regió jam floruit inclyta cultum.
Qualis, ubi hybernis Torrens ex imbribus, alveo
Exundat, campiſque ruens inſultat apertis:
Continuò tumidarum pręcipiti agmine aquarum
Irruit in ſegetes, frugeſque, ac funditus omnes
Everſæ ſtatim Cereris populatur honores,
Evoluitque hauſtas violento gurgite glebas.
Mox, ubi flava Ceres, vel pingui pampinus uva;
Aut lęto pridem riſere novalia cultu:
Squalida luget agri facies, aggeſtaque limo
Glarea, & humentes latè dominantur arenæ.
Haud ſecùs argolicas quùm barbarus obruit Vrbes
Turca: ruunt grajæ paſſim dejecta Minervę
Atria, muſarumque lares; latet obſita dumis
In-

Invia Parnaſſi rupes: faſtigia Pindi,
Cyrrhęumque nemus, dejectis undique lauris,
Triſte horrent;totis Aganippe deficit undis,
Atque ejurati jacet omnis Regia Phæbi.
  Cynthius hęc ſummo deſpectans ętherе, ab altis
Imperat auricomam deſcendere nubibus Irim,
Cogat in auguſtum phæbęo ut nomine Muſas
Concilium; teneris Eos ubi raſcida gemmis,
Panditodorato perf uſas lumine ſedes
Háud mora: tergeminis fucata coloribus, atque
Rorantes ſuccincta ſinus,nova juſſa Parentis
Exequitur trepidans Iris: vocat ordine Muſas,
Advolvitque ſolo dejectis cornibus arcum,
Vt picto ſubeant Aurorę limina curru.
Pieridum ſubito chorus aſtitit, aurea cælo
Dum matutinus revocaret Phoſphorus aſtra.
Advenere ſimul, nexis per mutua palmis,
Calliope, Clioque, Thaliaque, Terpſichoreque,
Arma ducum, magnoſque canunt quę carmine Reges.
Adfuit Euterpe, & numeris quæ ſidera flectit
Vranie, teneroſque Erato quę ludit amores,
Carminibuſque frequens Polihymnia,Melpomeneque:
Virgineo inſignes peplo, cui ſtamina Pallas,

Ne-

Nexuit, Heroum cui grandia gesta, Parentis
Mnemosinæ imperio, phrygiis animata figuris
Addidit, atque oras auro distinxit Arachne.
Haud eadem cunctis facies, sed gratia vultus,
Et lepor, & Veneres, atque ęmula lumina frontis
Ambiguo certant censu, Paridemque requirunt.
Crinibus haud eadem lex; namque his vertice summo
Defluit exundans per lactea colla, humerosque
Crispatus varia calamistri lege capillus;
His vittæ undantem cohibent, multoque retorquent
In spiras plexu, niveum cui fibula velum
Innectit, zephyris placidè ludentibus aptum.
Omnibus est auro gemmisque illusa supellex
Musica: lemniscis humero devincta decoris,
Nabliaque, & litui pendent, cytharęque, lyræque,
Vocalesque tubæ, atque arguto barbita plectro:
Queis volucres sistunt auras; sylvasque sequaces,
Auritasque trahunt, magico ceu carmine, rupes.
Ergo arcu invectæ, liquidum per inane, curuli,
Auroræ subeunt ædes: pellucida puro
Limina rore patent, revoluto cardine, & ingens
Sese aperit roseis instrata tapetibus aula,
Quam molles circum zephyri, placidęque pererrant
Ani-

Animulæ, ac tremulis afflant opobalsama pennis.
Phębus adest, viridi redimitus tempora lauro,
Insignis pharetra, cytharaque insignis eburna.
Olli, perpetuo vernat quę flore, juventus
Ambrosias flava pingit lanugine malas,
Crispat, & auricomos elato in vertice crines;
Intertexta aureo regalis purpura limbo,
Gemmea, quam morsu substringit fibula, summo
Crure tenus ludens, sinuatis flexibus artus,
Contegit: aurato præfulget sura cothurno;
Dextraque crispata blandè subfulgurat hasta.
Majestate decor, majestas aucta decore,
Ac toto latè radians lux aurea vultu
Immortale docent mortali in corpore Numen.
Laurigero sedet ille throno, cui dædala Chloris
Lilia, vernantesque rosas, mollesque hyacinthos,
Narcissumque, crocumque, ac purpureos amaranthos
Addidit, ac varia ver textile nexuit arte.
Demisso tacitæ venerantur poplite Numen,
Ac jussis inhiant, pendentque ex ore Camænæ.
Tunc roseo irradians vultu, sic orsus Apollo est:
Pierides, mea cura, gravis mihi pectora sensus
Solicitat; nostro sacros dum Numine cerno

De-

Defluxisse lares, tanto quos Græcia cultu
Iam tenuit, famaque omnem vulgavit in orbem:
Gens inimica mihi, doctæque infensa Minervæ:
Naturæ, generisque pudor, cognata gigantum
Progenies, vomitu quam tellus expuit atro
Orbis in exitium, nostris se collibus altè
Intulit, ac fædo assurgens tenet omnia ferro.
Exosa ingenuas artes, è sedibus illas
Exigit usque suis: Parnassi culmina: vatum
Delicias, Pindumque, ac Thespia culta pudenda
Obruit illuvie, tantis nec nomina liquit
Collibus, extrusæ quas alto è gutture voces,
Horribilique notant modò verba incondita hiatu:
Iam nemora hæc trepidi fugiunt impervia vates,
Barbariem exosi agrestem: non thessala Tempe,
Addictumque Helicona feris: non antra, recessusque,
Vmbrasque, fontesque sacros, non enthea quærunt
Otia, nec tacitis captant mea somnia fibris.
Ah pudet huc vestros, me præside, cogere cætus.
Horridus hæc habeat sibi Mavors prædia: torvi
Hìc Steropes, Brontesque atris ignita caminis
Fulminaque, & currus, atque arma minantia cudant:
Ergo alias alio sub sidere quærere terras,

Et Iovis auſpicio certas defigere ſedes,
Præcipio. immotæ ſedet hæc ſententia menti.
Dixerat hæc; fremitu ſimul aſſenſere ſecundo
Pierides, ſubitoque afflatæ Numinis œſtro,
Præcipitare moras, zephyriſque inſiſtere certant.
Tum Phœbus: geminum præpes jam Fama per orbem
Centeno tulit ore decus, nomenque Columbi,
Et facinus, veſtris ſacro quod carmine cedris
Inſcriptum, tacito mirentur ſæcula vultu.
Hic prior Herculeas, Abilam, Calpemque, columnas,
Nec ſibi defixas, toti nec cenſuit orbi;
Alcidenque animo exuperans, ubi fixerat ille;
Extulit ipſe gradum; ignotiſque audacia ventis
Carbaſa, & oceano gemini ſpem credidit orbis:
Ipſe ſibi Pollux, ſibi Caſtor & ipſe, ſuamque
Pro geminis Vrſis, certa pro pyxide mentem
Explorans, terris alias oſtendere terras,
Aſtra aſtris potuit, mundumque adjungere mundo;
Quòdque novo pateat rerum Natura theatro
Se major, magno debet detecta Columbo.
Hos mihi, quos, domitis pelagi terroribus, agros
Vidit, & hiſpana tenuit jam claſſe Columbus,
Incolere eſt animus, veſtris, hic ſedibus apta

Et

Et ſpatia, & lato diffuſos æquore fines
Conſtituam, nobis alter Parnaſſus, & alter
Hìc ſurget, vernans potiori vertice Pindus.

Vix ea fatus erat; celeres ſimul advocat horas,
Et jubet inſtratum Matutæ ad limina currum
Siſtere, quo Muſas, potiori luce, diemque
Invehat occiduas auriga ſuperbior oras.
Exiliunt ſtabulis, vivoſque è naribus efflant,
Inde Phlegon, Pyroiſque ignes; hinc Xanthus, & Ethon;
Et jam fræna vocat, tacitam quæ concutit AEthram,
Vngula: depectunt radios per colla comantes,
Ac trepidæ phaleris ornant flammantibus Horæ
Ignipedes, currumque edicta ad limina ſiſtunt.

Phoſphorus intereà tacito vaga ſidera cœlo
Exigit, invectoque jubet decedere Phæbo.
Antevolat currum Zephyrus, trepidanſque flabello
Alarum, toto nubes eventilat axe;
Pura ſerenato procurrat ut orbita campo,
Splendidiorque dies redivivo affulgeat Orbi.
Inſilit in currum Phæbus, dextraque rubentes,
Pierides dum ſede locat, remoratur habenas;
Excuſſas tùm laxat equis. volat æthere præceps
Carceribus quadriga ſuis effuſa, rotiſque

Al-

Alta premit. muto pallescunt ore Camænæ,
Et phaëtonteos retractant pectore casus.
Mox erectæ animis aurigæ ad verba monentis,
Insuetum mirantur iter, lucemque, diemque
Europæ, atque *Asiæ*, Libyæque affundere gaudent;
Atque auriganti pangunt nova carmina Phæbo.
Iamque iter emensi occiduo se mergere ponto
Ignipedes properant; laxas adducit habenas
Mexiacoque rotas sistens in litore, Musas
Exponit Ductor, seque alto proripit axe.
Mergitur Oceano currus, sed fluctibus extat
Non dum mersa dies, celso quam vertice fundit,
Cæsariem excutiens, radijs crinitus Apollo.
Tum subita, gradiens tacitis Neptunus in undis,
Lætitia incaluit, stratoque ad litora ponto,
Glaucique Phorcique choros, è sedibus imis,
Tritonum cornu excitos se sistere Phæbo
Pręcipit, edictisque aures advertere jussis.
Quin, & Nereidas densis corallia ramis,
Et gemmis gravidas, & pictas murice conchas
Fundere, & illimi litus prætexere musco.
Vix dum Mexiaco vestigia fixerat Isthmo
Pieridum Phæbique chorus; cum tota repente

Ve-

Vere novo Tellus pubeſcens geſtijt,omnis
Gramine riſit ager, riſere arbuſta; novoſque
Intempeſtivo fuderunt germine flores.
Adveniſſe Deos ſenſerunt flumina, & ipſi
Senſerunt colles; colleſque, & flumina ſaltu
Exiliere: ſuis feſto ſimul agmine ſeptis
Approperant,ſerto redimitæ,occurrere Divis
Et Dryades Nymphæ, & rorantes crine Napeæ,
Faunique, Satyrique, & ſetigeri Sylvani;
Omnes ad numerum ludentes cornibus,omnes
Feſtivas hilari nectentes orbe choreas.

Tum Phœbus: noſtris hæc debita ſedibus, inquit,
Eſt regio; hos nobis ſaltus, has Iuppiter umbras
Contulit: hìc noſtri captabunt otia vates,
Quos vehet extremis Europæ è finibus, orbem
Alite qui penna propè Pegaſus admovet orbi.
Hìc Ego caſtalias vincat qui nomine lymphas,
Arboris æterno manantem ex ubere fontem
Sedulus eliciam, quo poti largiùs; æſtu
Concita appollineo caleant ad carmina vates,
Excutiantque omnem fæcundo è pectore venam
Ingenij, lingua verbis undante refuſam

Hæc ait, atque habilem dextra mox corripit haſtam,
Quam

Quam multò quondam confoſſus vulnere Python
Imbuit, (obſcuris Python emiſſus ab antris;
Vt gravidæ, inſidians, Latonæ adreperet alvo;
Ne Phœbum connixa, Ducem, Numenque Camænis
Funderet) : hanc notà Pythonis cœde ſuperbam
Contorquens defigit humo: mirabile dictu.
Illa ſolo, jactis ſubitò radicibus, hæſit,
Humoremque imo ſugens ex ubere, plantæ
In truncum intumuit, patulos tùm vertice ramos
Floreſque, ac frondes, inopino vere, comantes
Fudit; & enatis autumno præcoce pomis,
Mirata eſt plantam, quæ ſe modo noverat haſtam.
  Mox Phœbus, ſecto pomi de cortice baccas
Excerpens: veſcas, inquit, ne credite, Muſæ;
Nectareâ hæ tantùm creſcent ad pocula glandes;
Namque ubi detritas liquor additus excoquat, igni
Appoſitus, dulci condent carcheſia ſucco.
Hinc fontem peperit, dum plantam protulit, haſta;
Namque una arboreo permiſcet ſemine potum.
Hic fons, hic veſtros, Divæ, ſervatur in uſus;
Vatibus hinc hauſtus infundite; pectoris œſtro
Vt caleant, totùmque vocent ad carmina Phœbum.
Pegaſeos poſthac latices ne quærite; cedet

B Fri-

Frigida nam liquido Permessi lympha Cacao;
Cedit apollineę ceu pegasis ungula dextræ.
Ergo agitę: exſecto pomi de tubere ſemen
Carpite,& undanti passim per jugera dextrâ,
Guatimalæ in ſulcos, & frugiferæ Guahacæ
Spargite; ut arboreo proles mihi plurima fætų
Surgat, & effuſis adoleſcat vivida campis.
 Voſque, ò, præproperâ Fauni, Satyrique bipenni
Cedite,io,ſylvas, umbrantia cedite ferro,
Robora; apollineæ pateant ut prædia plantæ.
Scilicet his tantùm fæcunda hæc germina terris
Iuppiter indulgens, alio ſub ſidere naſci
Noluit: hinc aurum, pretioſâ hinc merce Cacaum
Implorare jubet celſis è navibus orbem.
 Imperium trepidæ excipiunt, ac murmure plaudunt
Pierides, curvoſque ſinus, & candida lectis
Lintea ſeminibus cumulato pondere complent.
Mox paſſim per agros, nemorumque per avia,palleſque
Effuſæ, partita ferunt per jugera glandes;
Atque operi choreas, & muſica carmina miſcent.
Excipit ima ſuis felicia munera ſulcis,
Et fovet alma ſinu Tellus, glebâque feraci
Educat arboream fæcundo germine prolem.

Illa

Illa agros latè, lucosque, atque undique valles
Prætexit; lætà jactat se Mexicus umbrà.
Hæc soboles, atque hæc plantæ nascentis origo,
Quam modo barbaricà dixerunt voce Cacaum.
Tantæ molis erat peregrinum educere germen,
Quod succo attritæ reparet dispendia mentis.
Non ego Mexiacæ hìc memorem præcepta colendæ
Arboris; aut cultæ referam compendia sylvæ.
Scilicet in nostras nec surculus immigrat oras,
Qui patrium servet nativæ frondis honorem;
Invectumque undis Europæ in litora, semen,
Vel fæcunda satum, navoque in jugera cultu
Defossum, nullo redivivum germine surgit.
Quòd si fortè animam vivax calor uberis agri
Accendat, tenui tantum se cespite prodit;
Qui nostri impatiens cœli, mox vertice languet
Exanimi, lapsusque suà se funerat umbrà:
Spem generis vanà mentitus imagine frondis.
At quæ mira magis, nostrisque insueta colonis
Haud tacitus sileam. Solem defendere plantæ;
Ne ramos feriat radiorum verbere, primus
Agricolis labor est; tenerà namque indole, sævos
Haud dudum patitur væsani luminis æstus.

Scilicet exhauſtis exſugunt pabula fibris,
Marcentemque brevi cogunt areſcere truncum.
Quare ubi fæcundo Cacavatis germina campo
Proveniunt, geminam procero ſtipite plantam,
Explicet umbroſam denſo quæ vertice ſylvam,
Hinc atque hinc ſtatuunt; ſubiectis utraque ramis
Incubat, ac teneros geniali protegit umbrà.
Quin & ventorum rabiem, ne ſæva Cacao
Ingruat, ac molles divexet flamine fætus,
Frangit, & obiectis latè ramalibus arcet.
Fronde ſub hac firmas vernans arbuſcula vires
Contrahit, ac læto gaudens ſe flore coronat.
Has Indi plantas, Patrem, Matremque Cacai
Iure vocant, alio namque ortam ſemine, adoptant,
Officiiſque fovent ambæ, ſtudioque parentum.
At, miro Phœbi quæ munere floruit, arbor
Cur Phœbum fugit, ac ſe tegmine protegit umbræ,
Nec vivo gaudet Phœbeæ lampadis igne?
Scilicet antiqui ſoboles non immemor ortus,
Nunc timet ipſa ſibi, ſeque abdit cautiùs; altà
Ne Phœbi correpta manu, ſe rurſus in haſtam
Induat, evulſis tabeſcat & arida fibris.
Mirum etiam; cœco quòd frigida carpitur igni,

Ac

Ac teneros præfert vel duro in ſtipite mores.
Eſt & amor plantis, tacito quem pronuba nexu
Conciliat natura; ſuis namque altera ramis
Fertur in alterius nativo pondere ramos:
Altera, & afflatu alterius felicior exit,
Ac poma uberiùs nutrit, dum nutrit amores.
Ficus amat vitem: viti gratiſſima ficus;
Et ficum vitemque reciprocus ardor olivæ
Nectit; ut aſpectu ſeſe propiore maritent,
Lætior & geminis ſubeat radicibus humor.
Haud alio vernans adoleſcit more Cacai
Germen, & arcano patrijs calet igne ſub umbris,
Scilicet & blandos illi Vaginula ſenſus
Afflat, & ipſa pares afflatus excipit, & ſe
A teneris jungunt cognato fœdere fibris;
Atque ſuos tacitis fœtus ardoribus augent.
Hunc geminæ morem plantæ novere coloni;
Atque adeò nativa ſuis ut vota ſecundent
Officiis, teneram per conſita rura Cacaum,
Vaginamque ſtudent alternis condere ſulcis;
Vt ſimul admoto ſe largiùs ubere lactent.
Hinc rami ramis, & frondes frondibus, umbræque
Vmbris, ac ſtirpes genitales ſtirpibus auras

 Ad-



Adſpirant, auctoque hilares per mutua fætu,
Mexiaci cumulant felicia gaudia ruris.
Fertur Hamadryades inter pulcherrima Nymphas
Callirhoe, caſtæ dudum dilecta Dianæ,
Impenſis olim ſtudiis coluiſſe Cacai
Præſtantem ramis, præſtantem robore plantam.
Hanc Virgo è multis lectam, magis omnibus unam
Deperiit, toto qua nulla ſuperbior agro
Explicuit viridem procero è ſtipite pompam;
Garrula ubi vario miſcent certamina luſu
Hinc dulces avium cantus, hinc ſibilus auræ;
Innocuo teneras criſpat dum flamine frondes.
Illam Callirhoe puri modo fluminis undà
Irrigat: intextas picto modo flore corollas
Innectit ramis, ac frondibus oſcula figit;
Enodique ſuos in caudice ſculpit amores.
Hìc medio gradiens dum ſol exeſtuat axe,
Strata ſolo tenerum captat ſibi frigus ad umbram:
Hìc Illi, lepido fallit dum tempora cantu,
Inſidens ramis arguto Pſittacus ore
Certat, & auditas Echo canit æmula voces.
Impatiens dolet hæc Satyrus, quem ſpernit amantem
Callirhoe, ac totis fugitat caſtiſſima ſylvis.

Ac secum, infrendens, deformi siccine trunco
Posthabeat me Nympha Deum? quem Iuppiter axe
Sæpe locat, mensàque Pater dignatus amicà,
Proluit ambrosio spumantia nectare labra,
Concilioque jubet majorum adsistere Divum?
Haud impunè meum lædes nequissima Numen,
Nympha; nec ipsa tuo dudum lætabere trunco.
Heù nimiùm plantæ tulimus rivalis amores.
Occidat opprobrium contempti Numinis, & se
Delicias surdo quæsisse in stipite ploret
Perfida: dejecti verrent dum jugera rami,
Marcentesque atro sordescent pulvere frondes.
Dixit, & ingentem dextrà indignante bipennem
Corripit, egressusque adytis frondentibus, Euro
Ocyor, in miseram toto ruit impete plantam,
Irruit, & frendens cæditque, secatque, foditque
Vvlnera vulneribus geminans: tremit omnibus illa
Artubus, excusso gemitum dant caudice frondes
Exciso donec dejecta è stipite, præceps
Corruit, exanimisque in pulvere sternitur arbor.
Accipit hæc oculis diræ spectacula cladis,
Dum legit auricomos vicino in gramine flores,
Callirhoe, subitisque ferit clamoribus astra:

Lancinat ungue genas: divulſos ungue capillos
Lancinat, & crebris contundens pectora palmis,
Devovet infandis Satyri caput,incita,diris.
Mox ubi capripedem campis deflectere curſum
Cernit,& obſcurà ſeſe altius abdere ſylvà:
Fuſa comas, lacrymiſque madens undantibus, altoque
Ilia ſingultu quatiens accedit; & arcto
Exciſæ fovet amplexu lacrymabile funus
Arboris, exanimi defigit & oſcula trunco:
Ac ſimul: hanc ego te,mea quondam vita, meæque
Dudum deliciæ aſpicio! ſed verba refuſo
Altiùs exundans æſtu dolor interrumpit.
Deficiunt animo vires: exanguia pallor
Ora ſubit: marcent oculi: lacrymæque rigeſcunt,
Affuſæque genis,ac paſſis crinibus hærent.
Ipſa ruit lapſo tabeſcens languida collo,
Exanimiſque ſua ſuperincubat arbore. Phœbus
Hæc miſerans tenero redivivam in germine Nympham
Excitat; effuſæ pedibus veſtigia firmant
Actutum fibræ: viridi ſe cortice tectum
Colligit, & gracili tenuatur caudice corpus.
In ramos abeunt diſſectis brachia nervis:
E cyrrhis alii, diffuſo margine, ſeſe
In

In frondes pandunt: alii, queis undique rorant
Lacrymulæ, in siliquas turgent, roresque decoros
Follibus excipiunt; quorum sub tegmine, odoras
Vertitur in baccas densatis lacryma guttis.
Hæc frutici soboles; atque hinc, Vaginula, nomen;
Phaseolum siliquâ referens Vaginula; sed quæ
Tantùm phaseolo præstet, gratissima quantùm
Exuperant pretio pallentes cynnama cannas:
Delicium Auroræ, lectò quam rore tenellam
Illecebras inter, redolentis & ubera Floræ
Educat, & grato donat pinguescere succo.
Dixeris enatam, quà cornua deiicit Iris;
Gleba ubi sidereo feliciùs halat odore.
Illam languiduli circùm zephyrique, jocantesque
Aurillæ allambunt, dulcique per oscula furto,
Fragrantem rapiunt animam, vectamque volucri
Remigio alarum vicina per avia fundunt.
Hanc tenera arcano Cacai virgula suctu
Haurit, & extinctæ illecebras, ac munera Nymphæ
Agnoscens, læto vegetat sua germina succo.
Hæc Cocolatis erunt tibi bina elementa parandi;
At porrò superest, dulci quod sidera fœtu
Parturiunt, brasilo pressum de cortice sacchar.
Hoc

Hoc, age, quæ calamis, operoſo machina niſu,
Exprimat, & notæ ſolertia conſtruat artis,
Accipe: ſacchareas Vernæ per jugera cannas
Maturo jam rore metunt, ſectiſque maniplis
Ingentes onerant currus: furit incita campis,
Itque, reditque viam celeri levis orbita plauſtro.
Pars calamos in fruſta ſecant, reſecantque minutim:
Pars operi ſectos aptant, ſaxoque molari
Vndique ſubſternunt impactà mole terendos.
Saxea deſcripto ſeſe explicat area gyro,
Cui mediæ laxo ſtipes verſatilis orbe:
Figitur, elato ſurſum qui vertice prodit.
Nectitur huic, vinclis adſtricta trabalibus, ingens
Orbita, diſſecto ſcopuli cœſa orbita dorſo;
Quæ verſo circùm, multà vi, ſtipite, raptim
Ipſa etiam multos ocyſſima circinat orbes.
Hinc molles ſubigit calamos, tenuatque ſubactos;
Comminuitque, molitque; inito nec fervida curſu
Abſiſtit; donec cumulum ſe mutua in unum
Conſtipent, preſſo coalentia fruſtula viſco.
Protinus hæc alii, partito pondere, laxis
Corbibus excipiunt, ac torcularibus aptant.
Exertis alii cochleas torquere lacertis

Ap-

Approperant, totoque obnixi pectore anhelant.
Interea assi duo stridentia præla rotatu,
Exudant udo nigrantes margine succos,
Spumat, & expletis ingens vindemia labris.
  Haud procul hinc clausos alii fornacibus ignes
Follibus exsufflant crebris, ac plurima anhelis
Pabula sufficiunt dissecto è robore flammis.
Exudant denso vesana incendia fumo
Fulmineasque sinu jaculantur in astra favillas;
Vt multam credas erumpere cominùs AEtnam.
Hìc ternos alii statuunt ex ære lebetes,
Mella sinu ut foveant, multo quæ fervidus æstu
Excoquat ad purum, detersis fęcibus, ignis.
Fervet opus. primo primi demittere aheno
Impuros properant, quos præla dedere, liquores.
Hos circùm multo crepitant incendia bombo,
Defæcatque atram violentior ignis amurcam.
Excoctos alii vicino infundere labro
Certatim rores satagunt, quos puriùs ardor
Eliquat; & fæces cogit deponere fundo.
Hinc super excretis invectus sordibus humor
Extrahitur, fumante lebes quem tertius ore
Excipit, ac paribus purgat vis ignea flammis;

Dum posità, tandem superest quæ fæce, liquenti
Nil reliquum, nisi mel, deterso in melle supersit.
Hùc aliquis, veteri Luculli è stirpe, superstes
Ganeo, cui teneram irritant mellita salivam;
Aut dudùm pingui lactentem abdomine capum;
Aut tenerum, ac binis præreptum matribus agnum
Advehit, & dulces raptim demergit in æstus:
Demersosque iterum fumanti educit aheno.
(Ni faciat; raptos sibi devoret ocyùs æstus)
Hic simul incoctas blandè mitescere carnes
Edocet, & multo conditas melle saginat:
Blandimenta gulæ, dubiisque cupedia mensis,
Queis, luxu regnante, popina superbiat, & se
Ingenium jactet vicisse epulantis Apici.
Plurimus interea detersà cantharus alvo
Promitur; hunc vernæ purgato nectare complent,
Stipatumque sinunt denso concrescere succo;
Induit hic vasis formam, concretaque surgit
Meta, laboratam vario, quam protinùs artis
Ingenio, niveis cogunt candescere floccis:
Sacchareumque vocant, posito ceu furfure, florem.
Hunc ego Mæonii jactatum carmine Vatis
Crediderim nectar, quo potus Iuppiter, hausit
Po-

Pocula digna Deo; ſed jam mortalibus illud
Indulſiſſe canant vates; celeſtia dona
Vt libent, animumque alacres ad ſidera tollant.
Id pridem munus noſtris indulſerat oris
Iuppiter; at poſtquam hiſpano de litore claſſes
Ammericen tenuere, novum tranſmiſit in orbem.
Non dum quæ tellus, quis ager foret aptus alendis
Saccharis aërei calamis, novus incola norat.
Qum poſito, ad Iovis imperium, Iovis armiger igne
Fulmineo, lætis ſeſe ocyùs intulit arvis,
Quæ labens riguà Bætis præterfluit undà;
Atque hìc ſacchaream potiori è jugere cannam
Deligit, & roſtro vulſam ſuſpendit adunco.
Mox celeri terras, ac Thetyos æquora pennà
Pervolitans, Braſilos ſeſe demittit in agros;
Et quà limoſo turgent ex ubere glebæ,
Quàque ſub ardenti laxantur Sole, refixum
Defigit, multo fœcundum nectare, germen.
Hoc fortè hiſpanus Braſilis in finibus errans
Agricola, ut lœto vidit pubeſcere culmo:
Salve, ait, ò decus arvorum, Bipedumque voluptas,
Te Deus in noſtras, alio procul extulit orbe,
Delicias; nec plura; omnem ſimul expedit artem,

Cu-

Curamque, cultumque omnem, quò plurima campis
Proveniat ſeges, & calamis tegat arva beatis.
Reſpondent operi cumulato jugera fructu;
Et vota Agricolæ ſuperant; namque omnia meſſes
Vberiùs multò, potiori & fruge, fatigant
Horrea; quàm riguis quas Bæticus educat arvis.
Vſque adeò ut magnas immenſo ſacchare naves
Ammerice cumulet, noſtraſque emittat in oras:
Illatam referens ingenti fœnore cannam.

Libri primi finis.



DE



DE COCOLATIS
OPIFICIO
LIBER SECUNDUS.

HActenùs agreſti mihi carmine dicta Cacai
Germina, & ambroſio pinguis Vaginula ſucco;
Nec non, & Braſilo turgent quæ ſacchare cannæ.
Nunc Te, Diva, cano, largi quæ plurima Phœbi
Munera quæſitos, Pallas, deflectis in uſus.
Mexiacas Tu prima doces ad pocula fruges
Artifici miſcere manu: Tu ſolvere ad ignem
Prima doces tritas concreti Nectaris offas.
Invectumque tuà Cocolates conſtitit arte.
Hæc Tibi dejectæ Mortales pharmaca mentis:
Hæc Tibi labentis debent opobalſama Vitæ.

Ergo age, Diva, tuo præſens mihi Numine pectus
Concute: Te veri prognatam mente Tonantis:
Fæcundam Ingenii altricem, numerique parentem
Advoco;da facili carmen deducere plectro.
Tuque adeò, teneris rapuit quem nuper ab ulnis
Parthenopes Libitina,& funere merſit acerbo,
Turriadum Dux Aſcanide, cui mæſta parentat (a)
Italia; extinctum lugent quem Palladis artes,
Et Pudor, & Pietas, & digni Principe mores:
Delicium Patriæ, ac noſtri flos integer ævi.
Tu mihi, quando ardens Te vexit ad æthera virtus;
Palladis afflatus, & caſti pectoris ignes
Concilia; ſi ſæpe tuo de munere Vates
Mexiaco caluere ſcypho,Phœbique repentè
Afflatos œſtro,ſacris furor intulit antris
Pieridum; quacunque poli de ſede vocatus
Aſpice; dum tua dona cano, dum triſtia læto
Permiſcere dolor cogit ſuſpiria verſu,

Si

(a) *Aſcanius Philomarinus,Aſcanij Cardinalis Nepos ex fratre,Turris Dux.* (b) *Amaranthum immortalitatis teſſeram pro inſigni ſymbolico Aſcanius Cardinalis Patruus pratulit, cum hoc lemmate : nomen familiæ amanti immortalitatem.*

Si mihi Phœbus adeſt: claro quem ſtemmate præfers, (b)
Haud fruſtra æternum Tibi flos Amaranthus honorem
Spondet; nec vano te luſerit omine Vates,
Pollicitus, fati poſt ſurda ſilentia, famam:
Forſan & iſta tuos revocent hùc barbita Manes.
Interea has tumulo inferias, fuſumque, ſolutis
Ad cytharæ numerum lacrymis, hunc excipe leſſum:
Pignus amicitiæ, & monumentum flebile amoris,
Quem, vel poſt cineres, memori ſub pectore ſervet
AEvo cana fides, & vivo nutriat igni.
Nam benè nexa animis, animorum ætate perennant
Fædera, & inſtantes deſpectant forcipe Parcas.
Principiò: geminum Cacavatis ſemina in uſum
Indica gens flexit; nam quas procerior effert
Turgentes, Arbor, majori tubere glandes,
Erogat in pretium: quibus emptas quærere merces;
Atque agitare, Patrum ritu, commercia mos eſt.
Aſt tenui profert Arbor quas pumila ramo,
Has grato ſervat, condita ad pocula, ſucco.
Vos Ego felici prognatos ſidere dicam
India quos genuit: vobis ſtant aurea verè
Sæcula, Saturno jactant quæ Principe, Vates.
Scilicet enatum patriis in finibus aurum

Spernitis, exilioque alium damnatis in orbem,
Signantes lætos nativis glandibus annos:
Glandiferà pastæ dum ducitis arbore vitam.
Ferrea, jam pridem, nostras invexit in oras
Sæcula, fatali dum luce intermicat, aurum.
Namque ubi terrigenà, detersum sordibus, umbrà,
Emicuit: procul acta Fides, procul acta recessit
Et Pax, & Pietas: nostro sese extulit Orbe,
Et geminas alto lances Themis intulit axe.
Quin & disruptis Erebi de faucibus, omnes
Erupere simul, facto velut agmine, fraudes
Insidiæque, dolique, & aduncis usque rapinæ
Vnguibus, ac fœdo manantes sanguine rixæ:
Colluvies scelerum, totas quæ funditùs urbes
Obruit, ac miseris infudit tartara terris,
Hinc mores; hinc jura; imis hinc summa; prophanis
Sacra, Orbemque chao rursus permiscuit Aurum.
Imperio stant cuncta, caduntque suo. Arbiter urnæ
Imminet, & Curios damnat, solvitque Cethegos.
Impete cuncta suo, bruti ceu fulminis ictu,
Tacta ruunt, nullo Martis licet ariete pulsæ,
Illi reclusis pandunt se postibus urbes,
Regnorumque patent aditus: nec Principis aulæ
Con-

Consilia, aut cauti latitant arcana Senatus.
Nulla tegit Danaas vel turris ahenea; in ædes
Defluus ex astris aureo se Iuppiter imbre
Infert, & sacræ restingvit lampada Vestæ.
Nulla satis vigili servat sacraria cultu
Relligio: delubra Simon dum perfidus urget;
Ipsa Simon delubra illato polluit auro.
Omnia, si coëmas, prostant venalia: cælum
Quis ferat, ò, Numenque ipsum jam vendimus auro.
Ferrea quis neget hæc, Auro sub principe, sæcla?
Ast quò me Phœbi furor impulit entheus, œstro
Abreptum? Satyræ perfusum carmen aceto,
Non ulcus mordet, quod longo obcalluit usu.
Ergo age, Apollinei me prolue nectaris haustu,
Calliope; tenui cæptum quò pectine carmen
Prosequar, annosæ projectus ad arboris umbram.
Mexiacæ, primò, cum rusticus incola sylvæ (a)
Extudit execto Cacavatis tubere baccas:
Vel lento admotas igni, vel solis ad æstum
Expositas, fragili siccandas cortice torret.
Hinc centum è numero, condicta ad pocula, lectas,
Altiùs impacto pistilli pondere frangit.

(a) *Ex relationib. Franc. Hernand. apud Nardum Recchum.*

Mox & testaceam defracta putamina in ollam
Injicit, affusàque jubet tabescere lymphà.
Indica quin etiam frumenti grana (Maizum
Barbaricà indigenæ designant voce) capaci
Quot junctim curvata sinu manus utraque claudit;
In tenuem, saxi attritu, mollita farinam,
Addit, & admotum fervescere cogit ad ignem.
Rusticus hac explet liquidà sibi pocula pulte.

Non satis hæc aliis; lectos sed cespite flores,
Graminaque, & varià decerptos arbore fructus,
Marmoreæ silicis contusos verbere, miscent:
Hæc mox arboreo versant agitata batillo;
Incoctis donec jam frugibus, unda colorem
Traxerit: affusis medicata saporibus unda.
Tum liquor in plures fusus demittitur urnas,
Inque aliam ex alià per mutua volvitur, acto
Sæpiùs imbre ruens: donec flos pinguior altam
Excitet, alterno turgescens impete, spumam:
Hanc, subsidenti demessam fæce, propinant.

Tertius at superest tritis è glandibus haustus,
Quem porrò è cunctis Cocolatis nomine dicunt.
Cacao indigenas, æquatà fruge, Pochólti (a)

Ad-

(a) *Frutex indicus, apud Recchum, de plantis indicis.*

Admiſcent baccas,& adacto verbete preſſas,
Fictilis immergunt collectam vaſis in undam:
Hanc multo fuſtis jactatam turbine miſcent,
Æthereus donec liquor altiùs innatet,& ſe
Excitet in bullas,mox lecto flore,cremorem
Excipiunt,aliàque recondunt cautiùs urnâ:
Quod reſidet,patrii pugillo pollinis augent:
Atque ubi ſubjectis exæſtuat ignibus;illi
Sepoſitum pridem,ſpumâ florente,cremorem
Adiiciunt,calidumque,voraci gutture, ſorbent.
Hæc olim Cocolatis erant exordia,& artis
Prima rudimenta,Heſperium dum condere nectar
Diſcit,& ambroſio Reges perfundere mulſo.
Hoc ſibi nunc etiam pateras Gens Indica ſucco
Spumantes cumulat, læta quas fronde coronans,
Se certare Iovi credit,nam ruſtica Pubes
Fœcundos poſtquam calices,plaudente coronâ,
Exhauſit;ſtratis frondentibus exilit,& ſe
Protinùs ad choreas,comploſis garrula ſiſtris,
Provocat,atque hilari comit ſe ludicra cultu.
Non hic barbarico turgentia carbaſa luxu,
In manicas laxo ſinuata volumine textas
Non oſtro cyclades,imò non aure videres

 Pen-

Pendula Erythræi pretiosa pericula ponti,
Sectave muriceo mytræ redimicula limbo,
Cæteraque attalicis operosa crepundia ludis.
Alituum varis Pubes sibi sedula cultum
Instruit è spoliis:virides dat Psittacus alas:
(a) Coccineas Thlauthot: perfusas luce Pipizton:
Atque Apodes pictæ variata volumina caudæ;
Iris ubi nitido se discolor explicat arcu:
Pompaquę nudatos operit plumatilis artus.
Pluma femur cæstu religat:caput ardua cristis
Pluma tegit:plumas nectunt sub poplite vittæ.
Quin etiam inventis per litora fortè lapillis,
Armillas brachiis,nudoque coralia collo
Aptans,florigerà pectus sibi torque coronat:
His compti,choreas,ad sistra sonantia,nectunt:
Devinctique manus per florea rura, per agros,
Saltibus exiliunt,& sylvas carmine pulsant:
Responsant sylvæ, responsant undique colles:
Tactaque barbaricis reboant clamoribus arva.
Mox ubi jam choreis,Iuvenum deferbuit ardor,
Lassatique pedes,& multo languida saltu,

Cru-

(a) *Aves Americanæ,apud Hernand. & Io.Fabrum Lynceum, in hist.avium nova Hispania.*

Crura labant, madidique fluunt ſudoribus artus:
Seſe iterum ad calices referunt. ſtratique ſub umbrâ
Arboris, illecebris certant, hilareſque propinant;
Optatos donec revocet nox humida ſomnos.
Hi dudum mores, hæc dudum pocula Genti.
At poſtquam certas Hiſpanus figere ſedes
Cæpit, & Heſperio refloruit India cultu;
Europæ illecebris gula pridem ſueta, ſuperbo
Deſpexit tepidum Cacai embamma palato.
Ingeniumque novas novus incola compulit artes
Quærere, & indigenis potiores addere fruges.
Hoc ſenior, celebreſque inter Fernandus Iberos, (a)
Quà Tagus arva rigat, famâ notiſſimus, acri
Hoc ſtudio, ac multâ quæſitum indagine, demum
E ſuperis hauſit, felici munere, Divis.
Ille ferens tacitos per amœna, per avia greſſus,
Naturæ excuſſit latebras, dubioſque receſſus:
Omnia veſtigans, perpendens omnia cenſu
Solicito: ignotas peregrini ceſpitis herbas:
Arboris omnigenæ fœtus, frondeſque, nuceſque,
Seminaque, & fruges omnes, atque omnia latè

(a) *Franciſcus Hernandez novi Orbis medicus primarius, ſub Philippo 2.*

Gramina; floriferis gignit quæ Mexicus arvís.
Quin & quadrupedum genus omne, aviumque, ferarumq;
Ingenia, atque habitus, plumasque, ac tegmina; seu quæ
Frugiferis spatiantur agris; cicuresve pererrant
Adsita pagorum tectis pomæria; seu quæ
Effera sævities nemorum altis abdidit antris:
Omnia perstrinxit, digessit & omnia chartis
Sedulus, & nostrum pridem transmisit in orbem:
Postgenitis longo miranda Nepotibus ævo.
Ille per æstivos, Phœbo inclinante, calores,
Sub viridi fessus consederat arboris umbrà:
Multa super poto meditans, agitansque Cacao.
Cùm dubiam tollens supplex ad sidera mentem:
O, ait, æterni Pallas prognata Tonantis
Ingenio: fæcunda tuo si Numine, certas
Indefessa hominum solertia comperit artes.
O age, Diva, tuo mentis mihi nubila vultu
Discute, & indubios animo da figere gressus;
Vt refugi teneam quæsita cubilia veri.
Vix hæc, quùm Dea, Nymphæ habitum mentita Napeæ,
Adstitit, ac vultu trepidum compellat amico.
Solicitum quæ cura agitat? si prodere fas est,
Ne preme: consilio mulier sæpe impigra pollet.
Si

Si quid opis possum, tibi Virgo volensque, lubensque
Impendam; mirà præstans nam Pæonis arte,
Præsidio es miseris, & proxima fata moraris.
Dixerat: ille habitum reputans, ac Virginis ora,
Mortalem transgressa gradum, se poplite flexo
Cernuus advolvit genibus; mox talia fatur:
O quam te memorem, Virgo, namque ardua celsi
Oris majestas hominem negat: ò Dea certè
An Triviæ comes, & Nympharum sanguinis una,
Sis felix, tardumque animi precor excute sensum.
Liquimus Hesperiam, largo cui sidera rore,
Omnigenis augent felices frugibus agros.
Illìc nectareos generosà è vite liquores
Hausimus, & longos usu traduximus annos.
His pridem assueti, revocare in pristina nervos
Artubus, & stomacho firmas arcessere vires:
Contemerata gravi Cacavatis pocula pulte
Despuimus, refugo vix delibata palato.
Ergo age (mexiacis quando tua munera Terris
Bacche negas) alias, Virgo, da carpere fruges,
Fædere queis certo rigidi mollita Cacai
Rusticitas, grato fauces demulceat haustu,
Et stomachum læto torpentem exsuscitet æstu.
Nam

Nam memor usque tuas, pateris fumantibus, aras
Imbuam, & acceptis fundam libamina donis.
Tunc Pallas: nimio dignaris honore puellam,
Assuetam profugos hastà desigere cervos.
Ni mea cunctantem fallit sententia mentem:
Sacchareas, moneo, certo sub sidere, cannas
Demete, & æthereos, ut mos est, exprime rores:
Hos, ablegato nostri modo pollinis usu,
Cacao adscitos, non ęquo pondere, misce.
Accedat pingui fragrans Vaginula massę,
Et piperis ramenta, & odoro cynnama libro.
Dilue mox calidà, & pateris spumantia funde.
Hic liquor Hesperiis, lepido gratissimus haustu,
Accidet: ad stomachum hic faciet; nec massica posthac,
Aut Cresso invideant stillantia vina racemo.
Hęc ubi dicta, pedem retulit: subitusque refulsit
Ambrosià cervice nitor; simul Illa retectam,
Cycladis obverso, procul extulit ęgida, limbo,
Atque omnem latè perstrinxit fulgure sylvam
Irradians: nemus omne comis crispantibus ardet,
Et flexo Numen ramorum vertice adorat.
Tum Senior: Pallas, claro mihi Numine, Pallas
Adstitit, ac tanto dignata est munere. Salve, ò,

Cæ-

Cælicòlum decus,ac dubiæ lux inclyta mentis.
Hinc Sociis referens ſibi cognita:fallitur,inquit,
Fallitur,hoc Triviam luco qui forte vagantem
Autumat:his potius Pallas ſub frondibus errat,
Illa mihi ſeſe depulſis obtulit umbris
Spectandam,multà venanti indagine Verum.
Eja agite,ò Socii,feſtas agitate choreas:
Plaudite,io,veſtris reſpondent Numina votis:
Veſtraque ſolicitæ Superis ſunt commoda curæ.
  Mox ſecum:quæ Pallas ait;quæ Nympha repente
Viſa mihi eſt? vigili quis Vatum ſomnia pinxit?
Credo equidem;illa meæ proles fuit ardua mentis:
Sæpe ſuas animus curas in Numina vertit.
Gratulor ipſe mihi,noſtræ quod mentis in arce,
Vſque adeo ſpiret majeſtas vivida Veri;
Vt mihi conſpicuo pandant ſe Numinis ore
Senſa animi:en noſtro prodit quoque vertice Pallas.
  Hæc poſtquam ſecum:fruges Fernandus odoras;
Vaginæ ſiliquas,& lecto ſacchara flore,
Cynnameoſque legit,mordaci cortice,libros;
Ac toſto admiſcens pridem detrita Cacao,
Mexiacum certà Cocolatem perficit arte.
Qui ſi noſſe libet,qua lege,metroque paretur;

Ac-

Accipe quæ,ſchedulis,idem Fernandius Orbi
Tradidit,& longo ſimul Hiſpalis approbat uſu:
Hiſpalis,Europam quæ prima invexit in omnem,
Quicquid ab Ammericis exportat navita sylvis.
Principio lecti glandes ſecerne Cacai:
Præcipuum Guachaca dabit,quo Mexicus ullum (a)
Frugiferis nuſquam præſtantius educat arvis.
Pingue legas,carptumque recens ex arbore:namque
Exeſum macie,vel multis ante repoſtum
Menſibus,exſucto ſine viribus unguine torpet.
Arſerit interea moderato clibanus igne,
Torreat ut lectas,afflatu deſide,glandes.
Eſt ſapor,eſt toſto major,mihi crede,Cacao
Gratia;nec cyathos dabit exhaurire ſalubres;
Ni ſcabrum ſucci ingenium priùs igne retundas.
Tum fragili toſtas ſimul exue cortice baccas;
Ne putam inficiant neglecta putamina maſſam;
Neve imo vilis fundo ſubſidat amurca;
Dulcia fumanti ſorbes dum pocula nimbo.
Hinc defæcatas partito pondere glandes,
Marmoreo lapidi,quem levior alveus æquet,
Inſterne,& duro preſſas deſtringe cylindro.
Mox

(a) *India occidentalis provincia ubi Cacaus optimè provenit.*

Mox attrita cavo ſimul excipe fragmina labro;
Atque alias menſo ſuperingere pondere fruges.
Quod certò ut ſtatuas; ſolidam tibi pende Cacai
Ad lances libram: cui floris congere beſſem
Saccharei, & ſocio cognatos fędere miſce.
Augeat una ſuis fragrans vaginula fruſtis;
Seu gemina indictum Cacai pondus: odorem
Si libet ut ſurdis Cocolates naribus afflet
Acrius, aut ſtomacho certas depellere frigus;
Nam calido pollet gracilis vaginula ſucco.
Ignea quin etiam cumulato cynnama metro,
Sextantem adjiciant; piperi ſed parce, rubenti
Quod ſignant ſpolio, mittit quas Mexicus, offę;
Nam nimio fauces, & viſcera vellicat ęſtu.
Quin potius Moſchi pulvis, vel meſſis odoræ,
Primus apex, Ambar, minimo ſed fragmine mixtum
Accedat, capiti quęſitum, ac naribus Ambar.
Hęc ubi piſtillo tundens tenuaris aheno,
Exagitata diù velum tibi textile cribret;
Vt mox trajectus cribri per retia, maſſam
Imbuat, aſperſo tenuis pulviſculus imbre.
Non ſatis hæc habuit vernantis dędala Florę

Filia

Filia, quæ celso attollens capita ardua clivo,
Subiectos sceptro Florentia temperat agros.
Illam Flora parens, extremum adjungere florem
Artibus, erudiit; seu quas solertia mentis;
Seu quas, deliciis inhians, gula protulit Orbi.
Ergo edocta, animam delecto carpere flori,
Mexiaco varios Cocolati affundit odores,
Et Floræ decus omne, leporemque invehit offis.
Nunc citrini emunctas redolenti è cortice pomi (a)
Lacrymulas; nunc aut suspiria odora hyacinthi:
Aut Indo, quibus acer olet, de Tubere anhelos (b)
Elicit afflatus; vel amabile Gelsimini
Deliquium, hispanos qui transfuga deserit hortos.
Hinc nares longè redolentis anhelitus auræ
Vellicat, ut vivo credas tibi germine Floram
Blandiri, atque ori carptos affundere flores.
Ille mihi hæc retulit, cui florea gratius halant
Verba rosis, lepido vernans Laurentius ore, (c)
Pars nostri potior qui pectoris; ille vetusto,
Quà rigat Arnus agros, Procerum de semine sanguis,
Majorum decora, ac titulos se colligit uno:
Vnicus antiquà, palmes de stirpe superstes;

In-

(a) *Cedrato.*(b) *Tuleroso.*(c) *Comes Laurentius Magalotti.*

Ingenio vivax, jucundus moribus, omni
Palladis arte potens, ac rerum callidus usu:
Plurima quem Regio, summi quem Cæsaris aula
Principibus charum novit, Regumque sequestrum;
At Belmontanæ retinent nunc otia villæ;
Impia dum calamo proscribit dogmata, & altæ
Exudanda parat prælo molimina mentis.
Verùm, age, collectas iterum superingere fruges
Æquato lapidi, modicas cui subjice prunas;
Vt sensim lentus tibi cuncta coagulet ignis.
Marmoreum lapidi posthac adverte cylindrum,
Et fruges luctante manu, luctantibus armis,
Contere, tunde, agita, multoque repercute nisu;
Ante nec exsertis parcat, sibi Verna lacertis;
Quàm totam subigat, contento robore, & udi
Vnguinis in morem, cogat coalescere massam.
Hanc aut in teretes demum dispesce cylindros;
Vel sterne in lateres, latumve recollige in orbem.
Tum clausà tibi conde serà, nec profer in usum:
Signiferum Titan nisi jam compleverit orbem;
Vt constipatà durescant frustula micà,
Et calidà posthac penitùs solvantur ab undà.
Quod meliùs præstes brumæ sub tempora, frigus

Dum

Dum riget, & vitreis concrescunt flumina crustis.
Nunc quis duratas liquor additus eliquet offas,
Quo manus ingenio spumantia pocula condat:
Dic age Musa; tuo nam si mihi pectus ab œstro
Altiùs haud iterum caleat, quæ copia fandi
Alliget adstricto rerum tot nomina plectro.
Si focus assiduo tibi pervigil excubat igne,
Fictilis ad tacitas præferveat ollula prunas:
Hæc tibi concreti Cocolatis frustula solvat.
Fictilibus major Cocolati gratia, major
Obvenit ad gustum sapor, ipso è vase liquori
Affusus, primo plaudant cui guttura suctu.
Quod si non ullo tibi fumigat igne caminus;
Vel si seposito gaudes te condere tecto;
Vt sine teste tibi tantùm Musisque propines.
Accipe quæ, Sophiæ studiis addictus, in usum
Contulit, ac tabulis pridem descripsit amicis.
Cùm me concubiam stratis exurgere Pallas
Sub noctem jubet, ac tacitis me involvere chartis;
Vel Phœbus, cytharæ pertentans pollice nervos,
Anticipare diem, Musasque admittere, queis mos,
Aurora comitante, suos invisere Vates!
Hoc, ait, ipse mihi Cocolatem condere ritu

Assue-

Aſſuevi, & vigilem firmare ad carmina mentem.
Principiò: chalybis repetito crebrius ictu,
E gravidæ venà ſilicis mihi ſemina flammæ
Elicio, imbutus quam ſulphure fomes in auram
Excitat, & multo ſatur excipit unguine lychnus,
Appoſitæ lychnus triplex ſubſternitur urnæ,
Abditus: inſtabili ne fluctuet ignis ab aurà,
Abditus: incluſo vires ut colligat igne.
Quò lateat, ſubiecta urnæ ſtat ahenea circum,
Turriculæ in ſpeciem, dimenſo carcere, fornax:
Multiplici fornax oculata foramine; flammam
Vt modico ſenſim ſpiramine nutriat aer,
Anguſtoque vomat glomeratum carcere fumum.
Ni pateat; vivum mox deſerat halitus ignem:
Ni pateat; vigilem fumus mox obruat ignem.
Tum ſubitò, Lymphæ ſemiſſem infundere in urnam
Impiger adpropero (ſemiſſem pondere certo
Heſperii ſtatuunt) ferit imum cuſpide ahenum
Ignis, & infuſę frigus mihi perdomat undæ.
Interea tenui Cocolatem ſcindere ferro,
Dives ab occiduo mittit quem Mexicus Orbe,
Vel quem fida manus certà conſtruxerit arte,
Aggredior: ſtratà ſurgunt præſegmina chartà

In cumulum: cumuloque modum levis uncia ponit.
Quin & sacchaream decisa in fragmina metam
Comminuo, cumulusque pari mihi pondere surgit:
Mixtaque stat justo simul uncia, & uncia metro.
Vix opus expedio: mussat simul unda, susurroque
Advocat ipsa suos libamina dulcia in æstus.
Haud mora: fumiferos pretiosa obsonia jacto
In latices; digito relegens vestigia; si qua
Vda vaporato servat sibi chartula fumo.
Sunt & qui geminos, damnato more, vitellos
Adjiciant; liquidum ut cogant embamma vitelli.
Hi potiùs ventri faciunt. his vecta Liburno
Et vel amygdalinæ, vel fædo sordida quernæ
Glandis adulterio, Cocolatis nomine, gleba,
Ah precor, obveniat: quando tam crassa palato
Arrident, vilemque movent pulmenta salivam.
Sed jam fervet opus, versandaque turbine limpha est.
Est mihi roboreà decerptus ab arbore turbo:
Turbinibus vulgi dispar: nam longius Illi
Hastile assurgit, cui cuspide figitur imà
Tortilis, ac multis dissectus dentibus orbis.
Ille molam simulat, palmàque inclusus utràque,
Trudit odoratum, miscetque volumine libum.

Quæ

Quæ mihi quæ gravidis flavo de vortice bullis
Spuma tumet! lepido nubes quàm roſcida labro
Emicat, & fumo nares proritat odoro!
  Mox ubi multiplici detrita eſt utraque gyro
Palma, molæ inſiſtens, permixtaque frugibus unda:
Excipit incoctum, mellita ad pocula, nectar,
Ipſe etiam patulo ſitiens brevis urceus ore:
Vrceus illimi vincat qui murrhina cretà.
Aſt mihi non uno temerè ſtant pocula jactu;
Nec ſimul effusà cumulantur funditùs urnà.
Funditur ad numerum ſuccus: quæ turgida bullas
Pars agit: inverſo perit hæc decerpta labello;
Quæ ſupereſt, multos iterum revocatur in orbes;
Vtque novo ſpumæ tumet altiùs excita flore:
Ipſa etiam calici, ſuſpenſo parciùs imbre,
Additur. alterno mihi terque quaterque, rotatu,
In ſpumam liquor omnis abit; fuſuſque, capacem
Explet, odorato turgeſcens fornice, nimbum.
  Guttur hiat, cyathumque inhians allambere labro:
Spumea ſuſpenſo delibat pocula ſuctu.
Qui ſapor! exſucti quæ roris gratia! Qui flos!
Auguror: edocto non gratior ulla palato:
Non dedignantis ſtomachi torporibus ulla

 Blan-

Blandior ambrosia est: Hispani ò dicite: Galli
Credite; non animos quæ vellicet, ulla supinos
Acrior,& crebro jubeat sibi plaudere saltu.
At non fas,uno siccare tumentia suctu
Pocula, fumanti prohibent quòd fervida libo;
Nec lubet: admoto combustas parciùs igne,
Infudisse juvat spumanti in nectare ofellas
Panis, & intinctu mollitas frangere morsu.
Quod mihi si fido devinctus amore Sodalis
Adsit, tunc geminà suffulti sede, recepto
Germanis ritu, socio dum quisque propinat,
Et sorbillanti decerpit pocula labro,
Extrahimus lętis mixtos sermonibus haustus.
Vina vorent alii, seu quæ non subdita prælo,
Injussisque fluens lacrymis, dedit uva, rubenti
Murice; cretæo seu quæ stillata racemo,
Nauta peregrinà vexit super æquora cymbà;
Haud equidem invideo, capitique oculisque nocentem
Devoveo, Hesperià lætus promulside, Bacchum.
Hæc mihi literulis nuper descripsit amicis
Lisius, ingenuà quo non præstantior alter
Indole: cui magnum modò princeps exedra nomen,
Atque theatralis meritos tulit orbita plausus:

Tra-

radita Socraticis quoties ſua dogmata chartis
ropugnans, doctà retulit ſpolia ampla paleſtrà.
lle, diù queat ut ſacris advertere libris
ngenium, capitique acres exſuſcitet ignes,
e matutino Cocolatis proluit imbre:
Dedaleæ quantùm ſatis eſt ad munera mentis:
Palladii quantùm ſatis eſt ad prælia circi.
Quamvis ſæpe, hilari Iuvenum plaudente cachinno,
Immeritum lepido traducat Fabulus ore:
Fabulus, arguto cui plurima fabula denti eſt:
Immemor ipſe ſui quoties hypocondricus humor
Vellicat ingenium, ac tremulum Diaphragma laceſſit.
Sed digito Immemorem pervellit Cynthius aurem,
Et monet, ad numeros, emuncto pectine, ritum
Prodere, quo glacie adſtrictus liquor Indicus alget;
Frangat ut æſtivos jucundo frigore Soles;
Imperioque gulæ, verſis, det, legibus anni,
Intempeſtivam Icario ſub ſidere brumam.
In tenues æquo ſectum ſuper aſſere micas
Fervida more ſuo Cocolatem diluat unda;
Aſt alio confecta metro, tibi pocula condat
Potio, quæ gelido denſanda eſt frigore, pendas,
Ergo oculis, fidæ vel certo examine lancis,

Quicquid in appoſitum tibi fictile funditur: humor
Si binas æquet,dimenſo pondere,libras;
Perge, & ſaccharei ſemiſſem congere mellis;
Tum ſolidum miſce trito è Cocolate trientem:
His tibi ponderibus concretum embamma liqueſcat;
Vel certum poſito è paradigmate conjice pondus.
Dilutum convolve molà, quà ſummus, & imus,
Qua medius,variante manu,verſetur in orbem
Humor, & ingeſtæ ſolvantur turbine fruges;
Donec turbineus bullis exuberet æſtus.
Inde foco abductus, dimoto tegmine, cœlum
Excipiat, gelidamque liquor frigeſcat ad auram:
Eſt qui dilutum tenui velamine ſuccum
Percolet; reſides lædant ne guttura grumi.
Interea multo glaciem,in ramenta reſectam,
Sparge ſale (admixto glacies ſale fortiùs undam
Afflat, & in geminum cogit concreſcere frigus)
Adſit & arboreo conſerta è ſubere theca:
Huic nivibus fundum ſternas: cui trulla ſuperſtet
Stannea, vel tenui ſplendens argenteà vaſe:
Hæc tibi delicias, hyemis de munere, promet.
  Ergo age, quùm poſito pridem deferbuit æſtu
Ollula, in admotas urnæ devolvere fauces


In-

Incipe mox rorem; ſed ne ſimul effluat, Alcon
Admonet, illecebris, Alcon, qui pocula complet.
Ille molà in ſpumas Cocolatem turbinat, & mox
Demeſſum ſummo ſpumantem margine florem
Dejicit ad numerum; multo tùm vortice totum
Quod reſidet, bullis cogit turgeſcere libum:
Et ſpumis ſpumas dimenſis jactibus augens,
Mellifluo ad fauces explet velut aëre trullam.
Hanc mox aggeſto cumulet nix undique acervo;
Sed neglectà, cave, pateat ne ſubdola vaſi:
Rimula, diducti claudes dum marginis oram.
Nam facilè ſalsà glacies aſpergine lympham
Imbuet, ac totum inficiet tibi guttula mulſum.
Mox agitare manu, & crebra vertigine thecam
Flectere ne pigeat; quò ſe nix undique vaſi
Affricet, & ſucco citiùs det tabida frigus.
At ne tabeſcens exuberet humor, & omnem
Quæ reliqua eſt, glaciem maturiùs eliquet; imam
Ante juvet tenui terebraſſe foramine thecam:
Quò niveam exoneret poſtico è gutture tabem:
Dimoto quoties laxaveris objice guttur.
Vix hæc expedias; quùm jam concreſcere mulſum
Cæperit, & vaſi gelidas obducere cruſtas.

 Tum

Tum cautè removens ſupremo è margine tegmen ,
Obſtipo cochleare incurvum vertice, trullæ,
Altiùs immerge, hærenteſque tenacius alvo
Elide abraſas hinc, atque hinc undique cruſtas.
Hæ reliquum cogent, ceu mixta coagula libum .
Ocyus hoc alii ut præſtent, ex aſſere thecam,
Octonos firmo in loculos diſcrimine ſectam ,
Octonis implent cyathis; argentea ſeu quos
Lamina; tornatum finxit ſeu ſtannea in orbem ,
Hos modo dimidios duntaxat nectare complent ;
Scilicet ulterius rores aſſurgere tegmen,
Impoſitum prohibet; ſummo nam margine vaſis,
In fundum vergit, coni ſub ſchemate, tegmen ;
Conus & ipſe ſinum pandit, ſeque incavat altè ;
Vas vaſi appoſitum ut credas; hinc indita in ipſum
Nix altè cyathum, nivibus quoque cætera ſeptum ,
Ocyùs illatos cogit dureſcere ſuccos .
Quos ęgrè fundo excuſſos ubi traxeris imo ,
Concretam videas Cocolatis plaſmate metam :
Quam, crebros iterans ſuctus , mox exprime labris ,
Aut, tenera infringens in fruſtula, divide dente .
Allatret interea geminato Syrius æſtu
Ipſe hyemis dulci ſuges ex ubere frigus ,

Libri Secundi Finis ,



DE COCOLATIS

OPIFICIO

LIBER TERTIUS.

SED jam Mexiaci quæ vis, quæ commoda succi,
Quam vitæ ferat, haustus, opem, & quæ creditur, usu
Inserere assiduo morborum semina fibris,
Expediam: nostri quę pars est ultima cæpti.
Extremum hunc facilis Vati concede laborem
Phœbę; tuo præsens mentem si concutis œstro:
Auguror: haud vano labor hic cadet irritus ausu:
Ast mihi non citharà tantùm pharetràque decorus,
Qualis Parnassi juga proteris, aut Aracynthi,

Accedas; solito præeas ut pectine carmen.
Tu medicà primùm mortales imbuis arte:
Tu laticum rores: cœso tu balsama trunco,
Herbarumque doces quæ sint in cespite vires.
Ergo ades & medico præcinctus syrmate: qualem
Te longo norunt divini Pæones usu.
Vosque ò, Parthenopes columen, quos eruta damnis,
Iam sibi tergeminum sensit Geriona Syren:
Impavidi vitæ pugiles, qui forcipe Parcas
Exuitis, frænumque pati compellitis arte,
Herculeo quamuis assurgant robore, morbos:
Carole, facundo ructas qui pectore totum (a)
Hippocratem: duplex nectit cui laurea crines,
Et primos medicæ bis contulit artis honores.
Ingenioque potens leni Cappella, recusà
Cui se Pergameus transcripsit mente Galenus,
Acer in adversum febres irrumpere. Tuque ò
Dissita qui gemini socias dictata Lycei,
Evolvisque omnes, Bisonne, Macaonis artes.
Omnigenà Sophiæ præcinctus tempora lauro.
Ignaro vos este Duces; dum limina Vates

Ve-

(a) *Carolus Pignatarus. Antonius Capella. Iannarius de Bisogno. Primarii Medici quibus auctor obstrictus.*

Vestra tero, medicùmque adytis oracula capto.
Nec te prætercam, qui pervigil excutis omnes
Naturæ latebras, rerum dulcissime Rhedi, (a)
Cui Lachesis, cumulans depexo vellere pensa,
Tradidit ipsa cholum, felici ut pollicis arte;
Longiùs Herrusco deducas stamina Regi.
Te medicà Phœbus; Te Vatum fronde coronat;
Te decus Italiæ, fecundum diuite venà
Ingenii, & multo novit Gens extera fœtu:
Tradere quem sero decertant præla Nepoti.
Hoc mea, quodcumque est operis, Tibi Musa reponit;
Namque ubi prima tuo nectis mea carmina Baccho, (b)
Exstimulas lento torpentem pectine Phœbum;
Vt canat Hesperium meditato carmine libum.
Tu Vates, Medicusque præi, mihi carminis Auctor.
Plurima commendat Cocolatis pocula virtus:
Plurima, quæ creber jam commoda comperit usus;
Concelebrant; merito credas ut nomine dici:
Ammericum Elixir; vel Mexiacam Panaceam.

Prin-

(a) *Franciscus Rhedi, Magni Hetruriæ Ducis Archiater, Auctori multis nominib. carus.*

(b) *Dithyrambus ab ipso conscriptus, cui titulus: Bacco in Toscana.*

Principio ſtomachum moderato confovet hauſtu,
Excitat & lapſas infuſo robore vires
Ventriculi, ingenitumque fibris vitalibus ignem
Exacuens, pigrum ad ſua munera fortiùs urget.
Hinc uno plures arcet medicamine morbos.
Plurima namque, hominum lædit quæ corpora, labes;
Quùm ſtomachi è vitio, qui cruda obſonia ſegnis
Haud coquit, impuro ducat ſua ſemina ſucco;
Dum ſtomacho vires Cocolates comparat; idem
Obterit omnigenas obtrito in ſemine peſtes.
Ergo age; dum ſeſe ſtratis aurora relictis
Erigit; ipſe etiam ſegni te proripe lecto;
Atque ubi ſolicito torpentem pollice ſomnum
Terſeris: hiſpano te prolue nectare: fædas.
Hic tibi mox fæces, heſternaque lipſana cænæ,
Et viſcoſa, imis hærentia phlegmata fibris
Conficiet, pigramque trahet felicius alvum.
Auctior hinc artus calor influet: excidet ore,
Pallor, & igne genas rubor eriget: eriget acer
Membra vigor: ludetque omni vis ignea nervo.
Quin & nativam ſtimulis compellet orexim;
Et quæſita gulæ avertet faſtidia: anhelo
Ipſa etiam ut ſapiant vel pabula inempta palato.

At

At ne festinâ matures prandia mensâ;
Ni priùs epoto exuerint se viscera libo.
Opsonare famem quintam jubet Opsus in horam;
Intereaque gulæ querulos contemnere hjatus.
Tu potius stomachi dimensum consule robur.
  Sunt qui sublatis Cocolatem sumere mensis,
Et pleno gaudent pateras infundere ventri.
Hoc Opsus prohibet medicus, prohibentque quærelæ
Ventriculi, turbata dolet qui prandia; quod si
Prandenti dederint tibi forte obsonia pisces,
Queis caro limosâ frigescens najade, in imum
Vix accepta sinum, fædum tabescit in unguen:
Tunc mixtus calidâ Cocolates proderit undâ.
Corriget is fædos imo sub pectore succos,
Sedabitque atros, queis halant viscera, fumos.
Hinc vulgo Hispanis protrita Paræmia: potum,
Quæ fert, in carnes Cocolatem vertere pisces.
Novi ego qui, stomachi genio, sibi noxia dudum
Sancta quadrageno sensit jejunia sole,
Quippe olus, atque oleum, & salsi farciminis offas,
Et fluviis nantes, & nantes æquore pisces
Haud coqueret: Ventrique graves evolveret omnes,
Apula rore suo quas lactat amygdala fruges

Quin multà fætum terreſtri fece legumen
Reſpueret: ructus hinc fædà è fauce; tumultus
Inflatæ hinc alvi, capitiſque & pectoris ardor,
Multaque, ſe læſo miſcet quæ ſanguine, labes,
Cogebant Miſerum jejunj evertere leges,
Et querelum carnis revocare ad pabula ventrem.
Aſt ubi poſt epulas pridem, menſaſque remotas,
Ferventem nocuas Cocolatem fudit in eſcas:
Ambroſio imbuta, & ſenſim concocta liquore
Prandia, non ullo ſtomachum torſere latratu:
Servavitque ſacros, indemni corpore, ritus.

E ſtomacho quid opis capiti ferat indicus humor,
Conjice; nam ſocio pariter ſe fædere nectunt,
Inque vicem vel lucra ſibi, vel damna reponunt.
Quûm, fædo defoſſa lacu, putris unda mephitim
Evomit, ac triſti ſubtexit ſidera fumo:
Languida, fuſcato nebulæ ſub ſyrmate, pallet
Semiſepulta dies: languet Natura, ſituque
Obſitus, æthereos vix Iuppiter expedit ignes.
Tunc ſi vel Boreas criſpatis ingruat alis;
Altior aut Titan potiori dimicet aſtro,
Decedunt latè nubes: lux aurea cælo
Panditur, evictàque polus caligine, vivax

Emi-

Emicat, ac nitidos jaculantur ſidera nutus.
Haud aliter noſtro res eſt in corpore: quando
Viva Homines magni geſtant compendia Mundi.
Scilicet è ſtomacho vapor, excitus, emicat altè
In caput, ac cerebro nebulas offundit inertes:
Ingenioque gravis, nativos obruit ignes,
Ac mentem in nimbo, ceu lunam nubila, condit.
Tunc ſi ſpumanti ferveſcens najade crater,
Mexiacos altè in ſtomachum demiſerit æſtus:
Intextina palus fumos, compreſſa, reſorbet
Ipſa ſuos: victis ſe mens è nubibus effert:
Nativaque animus ſenſim ſe luce ſerenat;
Vt puro niteat radiatum lumine Verum,
Acris & obſtipo redeat ſolertia cordi.
Emicat ingenium, atque omnes protinus ignes
Expedit, invectumque ſcyphi ſub margine ſentit,
Haud grajum Alciden, ſed clarum lampade Phœbum.
At ſeram, moneo, roſei ſub veſperis horam,
Quùm molles revocant ſurgentia ſidera ſomnos
Pocula ne ſorbe; preſſo namque illa vaporum
Fomite, longe abigent, fruſtratâ nocte, ſoporem;
Sufficit offuſo venter cui pabula fumo.
Hinc ſi ſepoſitum tibi nox vigilanda, Chleantis

Ad

Ad lychnum; aut noctu speculâ servandus ab alta
Hostis, in obsessam ne subdolus ingruat arcem:
Hoc hoc uberiùs te mulso prolue; vinces
Ipsum etiam excubiis custodem pervigil Argum:
Illi oculos centum, si vera est fabula, cantu
Lenè soporatos vafro Cyllenius astu
Obdidit, & clausam furto procul abstulit Io.
Ast tibi vel tacitâ tangat si tempora virgâ
Morpheus, ac lentis irroret lumina guttis;
Nec geminam claudet connivens palpebra pupam:
Hoc tamen hausta dabunt medicati cymbia libi
Si geminà ternâve scyphos exhauseris hora,
Ante tibi fessos, quàm culcitra contegat artus,
Nam si post calices, molli te sternere lecto
Adpropeses; fumos quùm non dum vicerit humor,
Addat & ipse suos fumanti è tore vapores,
Componet potius tenero tibi lumina somno.
Edocet hoc, plures qui plurima condocet, usus.

Quà sese nitida vitrei Crateris in undà
Spectat, & æquoreis augusto vertice nymphis
Spectandam latè prodit pulcherrima Syren
Partenope, memini Magni me Nominis olim
Obsequio coluisse Senem, cui plurima Menti (a)

(a) *Marcellus Spinellus*.

Plu-

Plurima & erecto majestas indita vultu.
Ille Atavis clarus, Majorum fulta triumphis
Atria, Lojolæ, tecto sub paupere, signis
Posthabuit: magnisque auctus virtutibus, altè
Et decus, & famam contempti stemmatis auxit:
Se major: claro, Sophiæ seu traderet artes
Ingenio: sacrum nutu seu flecteret agmen:
Vtraque suspexit quem Sicelis ora: supremo
Admovitque parem, annuerent si Numina, sceptro.
Huic importuno crebrescens asthmate tussis
Aspera, concubià dum latrat nocte, fugarat
Ex oculis somnum; concussi & pectoris æstu
Assiduo, fessis prohibebat & otia membris.
Hinc vigil, & multo jactatus turbine, duro
Irrequieta diù versabat corpora lecto;
Ceu miser alternà jactatur naufragus undà.
Ergo animum subiit, tantis adhibere levandis
Præsidium, poti Cocolatis pharmaca, damnis.
Et secum: prohibent, inquit, si fervida somnos
Pocula, quid vigili noceant? at lurida saltem
Compescent extis undantia phlegmata, & arctà,
Quæ miserum jugulant, luctantes fauce procellas.

Forte prement, placidaque insternent membra quiete.
Dixit, & accensis, instructâ lampade, lychnis,
Eliquat intritum, turritâ in lance, Cacaum,
Exhauritque Scyphum, cubitumque abscedit, ut omnem
Traducat, miti vigilem sub sidere, noctem.
Vix se composuit stratis; pituita resedit:
Alta silet tussis: nec fundo obmurmurat imo,
Intextina diù latrans sub fauce charybdis:
Mox tacitus sensim trepidis obrepit ocellis
Somnulus, ac tenero conspergit tempora rore;
Ante nec obscuro discludit carcere pupas
Palpebra, quàm tenui desigens spicula rimà,
Obductam nitido distringat acumine Titan.
Hoc semel, hoc iterum, hoc & tertius egerat haustus.
Quùm secum, addubitans, hæc stratis excitus infit
Anne, soporifero commista papavere, quadra,
Ementita levi Cocolatem cortice, hianti
Imposuit? pressis quando sub pectore rixis,
Sopiit ignoto vigilantia lumina somno?
Quis scit an excubias insueto more soporat
Dum liquor, occultà perfundat viscera labe.
Hæc meditans porrò timuit, nec pocula labris

Ad-

Admovit; medicà donec Protoxiphus arte (a)
Præstans, ac toti famà notissimus urbi:
Sume animos, inquit, tacitas nec commoda fraudes
Rere: scypho potius meritas innecte corollas:
Hic fugat ignavos torpenti è lumine somnos;
Humor ubi stomachi nebulas absumpserit: illas
At nisi per spatium solidæ non conficit horæ.
Hinc tibi qui calices inter, stratumque cubile,
Inseris exigui vix temporis intervallum,
Advocat is potius somnos; nam pectore lenes
Excitat ipse suos, tenuato rore, vapores:
Et blando, admulcens, consopit lumina nictu:
Perge igitur, divisque lytrum persolve: petito
Qui te Nepenthis revocant medicamine, & ægro
Indulgent faciles mellito pharmaca potu.
Ille diù morem tenuit: multosque per annos,
Extraxit, medico firmatam rore, senectam.

Verùm age præcipuum peregrini Nectaris usum
Dicite Pierides, vestro namque omnia nutu,
Scabra licet, facili subeunt ad carmina flexu.
Qui cunctos, Animus, subiecti corporis artus,
Imperio torquet, vitamque, ac munera rector

(a) *Vincentius Protospatarus Primarius Medicus*.

Dividit: is purum potiori è ſanguine florem
Aſſiduo circum præcordia turbine verſat;
Cogit & in tenues, vibrato corde, vapores
Efflari, ac vivo ſuccendi puriùs igne.
Pneumata quos noto dixerunt nomine Graji:
His venas præter, nervoſque, ac cætera vectis
Spiramenta, omnes noſtri Cor eminùs artus
Corporis irradiat, vivà ceu lampade Phœbus
Alter, in exiguum diffundens lumina mundum:
Hi vitam, motuſque fibris, ac robora nervis
Sufficiunt, volucremque vehunt ad ſidera mentem.
Hinc trepidant radiis oculi: manus utraque in omne
Geſtit opus: ſaliuntque pedes: pugnamque lacerti
Expediunt: alacrique ardet ſub pectore Virtus.
Scilicet eſt illis vigor igneus, igneus ardor:
Exiliuntque, micantque, & fervida protinus omni
Se penetrant compage, ac toto corpore miſcent.
Hos porrò, artifices operum, vitæque ſequeſtros,
Pectoris igniculos, nullus fovet ubere fomes
Pinguior; Ammerico, quàm preſſi è ſemine rores.
Nam tota ingenito Cacavatis bacca redundat
Vnguine, ſidereis pingueſcunt Sacchara guttis;
Cynnama queis calidos afflant admixta vapores.
Hinc

Hinc tenuis,lentuſque liquor cocolaticus,apto
Dulcia ſpiritibus ſubſternit pabula ſucco:
Qui lapſas reparent vires: qui lumina menti
Accendant, vegetoſque animent ad munera ſenſus.
Hauſiſſe ut credas meliori è ſidere flammas
Cælicolum; ſubitoque caleſcere Numinis œſtro.
Fallor?an hæc etiam Superum ſunt munera Divum
Digna penu? roſeis en ut delapſus ab aſtris,
Aliger æthereus tornatà in pyxide præfert
Dulcia Mexiaci Cocolatis munera dextrà.
Languebat rigido reſupina in ſtramine Virgo;
Cui decus, & nomen,ſuperi Roſa transfuga veris,
Contulerat: tenero(mirùm) nam pupula vultu,
Nata Roſam retulit; retulit roſa pupula natam:
Aurorà mirante alieno in ceſpite naſci,
Ignotoque virere Roſam ſibi germine; nec ſe
Sidereas paſſis guttas adſpergere labris.
Ilicet indulgens, potiori ex ubere,rores
Lacteolos Natæ affudit formoſior Eos:
Divini Mater, Divini Filia Solis.
Sed jam viva Roſæ marcenti purpura vultu
Fluxerat, ac toto languebat corpore virtus.
Scilicet hinc febris vires, hinc celicus ardor

Hauſerat, abreptam torquet dum Numine mentem.
Qualis deciduo pallet roſa languida collo,
Quæ ſortita pares Phœbi cum ſidere cunas,
Par habet, occiduo Phœbi cum ſidere, funus.
Languidulis ergo eluctans ſuſpiria labris:
O quis, ait, modico Cocolatem miſceat hauſtu
Depoſitæ, ut lapſas revocem mihi pectore vires,
Et ſiſtam fugientem animam. vix talia anhelans
Dixerat: ad ſuperos celeri vox ocyor euro
Evolat, ac ſubitò ſervati ad limina tecti,
Hoſpes adeſt, pulſatque iterato verbere poſtes.
O'quis adeſt? excita Parens ſimul excipit, & ſe
Ad limen paſſis actutum poſtibus ardens
Siſtit; at ille ferens nitido carcheſia nimbo
Hæc, ait, infirmæ Cocolatis pocula Natæ;
Solicità modo mixta manu, modo fervida ad ignem
Defer, & ęgrotam jubeas ſalvere puellam.
Obſtupuit viſu Mulier; nec fata, recurvo
Poplite, delatum peregrino ex hoſpite, munus
Excipit, acceleranſque gradus; en Nata, quod optas
Nectar, ait, nuſquam mihi viſus id attulit hoſpes.
Blanda viri ſpecies, roſeique modeſtia vultus,
Atque ſupercilio graviter demiſſa pudico

Lu-

Lumina, ſolicitum afflarunt mihi Numine pectus.
Dixeris, æthereo delapſam culmine terris,
Corporeoque oculis obtectam ſyrmate Mentem.
Ille etiam multà impertit te, Nata, ſalute.
Audiit hæc ubi Virgo:perge ò protinus,inquit,
Perge,Parens,tantuſque,roga,dignetur ut Hoſpes;
Quò meritas referam grates,ſuccedere tecto.
Illa abit: at foribus jam ſe ſubduxerat hoſpes;
Non ulli poſt hac viſus;nec cognitus ulli.
Tum Virgo illacrymans,verſoque ad ſidera vultu:
Noſco,ait,hæc ſubmiſſa mei mihi dulcia ſponſi
Munera,& arrepto defigens oſcula nimbo,
Haurit cælicolum permixta liquamina dextrà.
Vt bibit,ut vegetæ rediere in pectora vires;
Ac mente aſſurgens,ſuffixi in vulnera ſponſi
Os animumque omnem vivax demergit;& alto
Delicias hauſtu,vitamque è Numine ſugit:
Queis animi,febriſque æſtus,ac membra ſoporat.
Hæc paſſim medici Cocolatis commoda cenſent.
Aſt Ligur adverſo Felinus Marte repugnans
Invehitur:nam felle tumens cognomine,totum
Evomit è cerebro Cacai in pocula virus.
Corporis Olli,animique lues cocolaticus humor

Visus,& ima fluens sensim per viscera pestis;
Quam Pandora suà deprompsit pyxide;vel quam
Mexicus,Hesperios ulciscens sæviùs hostes,
Vltrò in perniciem invisis submittit Iberis.
Admovet hæc imis,Felino auctore,medullis
Visceribusque faces,totum quibus æstuet hepar.
Et succensa acri tabescant exta calore,
Temperie dimota suà:quin fluminis instar,
Advehit admixtas medicatà in najade fæces,
Quæ sensim obstructas impuro sanguine venas
Inficiant, multisque ferant exordia morbis.
Nec satis:hos animo latices,castisque nocentes
Moribus evulgat;magici ceu pocula philtri;
Namque ait & Veneri potos fomenta pudendæ
Addere,& obscœni nutrire cupidinis ignes.
Vt totam credas cyatho fervente refusam
Exhausisse stygem,mixtumque ad turpia virus,
Tartarei fœdum Genii quo pectus adurunt, (a)
(Namque hùc erupit cæcæ sententia mentis)
Tum præscripta sacris jejunia frangere fastis
Asserit:illatà;falsi sub nomine potus,

Per

(a) *Ait : Cocolatem transfundere in viscera Asmodæos , ac luxuriæ spiritus,diabolico liquore permixtos.*

Per fraudem pulte, Athletas quæ robore firmet.
Hæc Ille, ac multoC ocolatem devovet œstro.
Parciùs hæc, Feline, viris obtrude: repugnat
Doctior, & Medicis, omnique Machaonis arte
Tutior, ignaros etiam qui condocet, Vsus:
Is, dudum gemino non usquam noxius Orbi;
Despuit effuso, quæ ructas, dogmata risu.
Hæc vates Medico paucis; nec plura reponam:
Nam tibi nec Censor, doctus nec Pallade Mastix
Defuit, inflicto meritum qui verbere pulset.
Ast hypocondriaco languentia viscera morbo;
An juvet, an lædat Cocolatis pharmacon anceps.
Mævius addubitat; sed longa decempeda vocis;
Si peregrina tuas haud hactenus impulit aures;
Accipe, vesano quam signet nomine pestem,
Nuper in extremam Mundo inclinante senectam!
Ex Erebi caveà, cæcisque erupit ab antris,
Tartareas inter longè fædissima Diras,
Æschitrope (Superi hanc terris avertite pestem)
Illam, funereæ per nigra silentia noctis,
Mæror, & exangui Macies exterrita vultu,
Progenuere: sinu lacrymans Proserpina natam
Excepit, furvoque aluit Libitina veneno.

Atto-

Attonitis Olli deformes rictibus Vmbræ
Struxerunt trepidas, densato è turbine, cunas:
Quas circum, tacitis ludentes saltibus, omnes
In species; positusque omnes, inque omnia flectunt
Spectra suas, noctis per claustra horrentia, formas:
Nunc altà in tumidos assurgere mole Gigantes:
Nunc visæ in tenues sensim decrescere Nanos;
Anglica ceu tragicis illudit Larva Theatris.
Impulit ut cæcas primis vagitibus auras;
Cerberus exululans fremuit: tristique boatu
Excitæ, sua pensa colis, sua vellera Parcæ
Mutârunt turpi nigræ fuliginis umbrà,
Et natæ ad cunas, invito stamina fuso,
Dum torquent, mæsto cecinerunt carmine lessum.
At nulla assiduos sedarunt murmure fletus
Carmina; nec fixas obtexit nænia pupas:
AEternis vigil excubiis, se jactat in omne
Irrequieta latus: fœdis nunc pectore stratis
Incubat: obverso nunc corpore, membra supinat,
Perpetuoque agitat concussas impete cunas.
Hoc simul è cæcis monstrum exitiale cavernis,
Iussere, in nostras Superi prorumpere pænas:
Intonuere cavis è faucibus AEtna, Vesævus,

Ac

Ac Lipare, ruptis latè compagibus: Olli
Quà data porta, ruit, terriſque inſultat apertis.
Vt primùm exiliit, diducto gutture, turpes
Eructat nebulas: ſubtexit territa, fumo,
Sidera, & obſcœnis permiſcet ructibus auras.
Has ubi duxerunt Mortales ore perusto
Protinus incaluere imo ſub pectore fibræ,
Adſita quà ventri præſunt hypocondria: noto
Hinc hypocondriacum dixerunt nomine morbum.
Dii rursùs talem terris avertite peſtem.
Obſtruit hæc fuſos, per viſcera cæca, meatus,
Atque capillares ductus; ne vaſa, ſinuſque
Influat, obducto ſuccus nutritius alveo.
Vt riguos hortis ſi quando inducere rivos
Aggredimur, laxo ſordes aggeſta canales
Expleat: effuſam liquidis è fontibus undam
Suſpirent avido nequicquam gramine flores.
Nam vel clauſa cavo tabeſcit lurida ſepto;
Vel ſuper undanti turgeſcens flumine, cultos
Obruit, & cœno demerſos inquinat hortos.
Haud ſecùs obſtructo claudant ſi viſcere flexus
Mucosà feces uligine; languida ſuetos
Ex epulis fruſtrà ſpondent ſibi membra liquores:

No-

Noxius at ſuperat, ſtomachoque regurgitat humor:
Exundant,tumidis altè turgentia bullis,
Phlegmata,quæ flavà, vel quæ ferrugine nigrà
Imbuit,atque ardens urget ſub pectore bilis:
Hæc mox aſſiduis mordent hypocondria flammis,
Anguſtantqne animam, & ſpiracula cælitis auræ.
Ignito ut credas cingi tibi languida cœſtũ
Viſcera:vel rigidà diffindier Ilia ferrà.
Tunc nec prima ſuum, nec conficit altera chylum
Coctio: denſatur,permixtà fece, coactus
In grumos ſanguis; nec circum pervius errat.
Languent interea,dejectis viribus,artus.
Corpus iners, nimiumque ſuo ſub faſce laborans,
Vix ſeſe raptat, duro & molimine greſſus
Explicat;exſucto macies fœdiſſima ſucco,
Intempeſtivis membra exarat undique rugis;
Deproperatque gravem,florenti ætate,ſenectam.
Quin lapſas nigrà pallor ferrugine malas
Inficit:in geminas ſe abdunt exterrita cryptas
Lumina: ſtrigoſo fluitant palearia collo:
Emunctæque levi tenuantur acumine nares.
Excidit è vultu vultus: ſeſe excidit ipſo
Æger; ut antiquo nexum tibi fædere notum

Haud

Haud noſcas, tetrumque putes occurrere ſpectrum,
Avertaſque oculos;vultum ne cominùs afflet.
Aſt facilè leviora feras diſpendia formæ.
Sævior eſt, intus torquet quæ viſcera, labes.
Nam,cæcis immunda palus defoſſa ſub extis,
Aſſiduam evolvens ferventi è fæce mephitim,
Egerit: utque abit in calidos tenuata vapores,
Mox hypocondriacis infeſtat flatibus alvum;
Proh Superi, quanto per inania clauſtra,boatu!
Dixeris,antiquà dejectum ſede,ſub imo
Iam tibi ventre ſuam ſtatuiſſe licentiùs aulam
Æolon, ac rabidos hic nutu flectere ventos:
Tanta repercuſſo,per viſcera cæca,tumultu,
Murmurat,elatrat,atque infrendens aura remugit.
Hæc intextino ventris modo clauſtra tumore
Explicat; in conum miſeram modo turbinat alvum:
Mox jubet in reſides intrò ſubſidere renes.
Et licet extremo laxis thorace cavernis
Effluat in ructus:metuenda tonitrua; credas,
Vix ſubjiſſe; imo nam quę ſub pectore turgens
Deſedit, rabidis acuit mugitibus iras.
At leviùs, ventris curvo ſi limite,frænis
Comprimerent ſęvos veſani turbinis æſtus.

Pel-

Pelliceo quondam conclusi carcere venti,
Quos Tethis invecto spumosa per æquora Nato
Indulsit(Graii si vera est fabula Vatis)
Erupere suò resolutis nexibus,utre:
Et cælo, & campis insultavere marinis.
Nunc pæna est miseris, quæ quondam fabula Grajis.
Scilicet effusi ventris de carcere flatus
Erumpunt,laxòque insultant artubus utre.
Hoc unum dispar: quòd claustra tumentia cauris
Solvit ad arbitrium,follis moderator,Vlysses;
Ast hìc vesanis in septa irrumpere ventis
Claustra datur, parvumque chao subvertere mundum.
 In caput insiliunt, variisque assultibus urgent.
Hic sibi concusso displodi in vertice sclopos:
Hic mugire tubas: strepere alter tympana: & alter
Pulsari assiduis queritur tinnitibus aures.
Ille sibi,collo impositum,pro vertice,credit
Alveolum, & clauso querulos examine fucos.
Sunt quibus exerrant oculi; vertuntur in orbem
Tempora, & instabili nutant vestigia gressu:
Qui trepidà mundum flecti vertigine,dicant.
Sunt quibus,in tumidum,dispunctò pondere,follem
Evasisse caput, vento turgente,videtur.

Vix

Vix risum ut teneas,dum fata hæc ludicra defles.
Iam procul ex oculis,absumpto fomite, somnus
Exulat:epoto quem nulla papavera succo :
Nec revocent tremulæ ludentia murmura sylvæ:
Aut resonà rivus qui præterlabitur undà.
Nulla quies, nullo connivet palpebra nictu:
Assiduasque agitant sopito lumina mundo
Excubias: curis hinc mens dejecta, dolori
Incubat usque suo, furvasque exaggerat umbras,
Luridaque,extorri,fingit sibi somnia,somno.
Nec satis: emotam torquent deliria mentem.
Novi ego,qui furiis acti se mergere ponto :
Vel dare præcipites tecto; vel sæpe cruentas
Tentarint inferre manus sibi: præpete cursu
Alter,non ullo præcinctus tegmine vestis,
Proripuit sese stratis, & cardine postis
Inverso,erumpens,mediæ sese intulit urbi.
Bile tumens alter nudatum corripit ensem,
Huc illuc cursans, & cæcas verberat umbras.
Iam quis dejecti referat mæstissima Cordis
Fata? quis insanos turbati pectoris æstus?
Hanc ubi sepositam vitæ simul obsidet arcem
Halitus, & crebro præcordia concutit ictu?

Haud

Haud secùs infesto trepidans urbs angitur hoste,
Quùm quatit obsessos, evertens undique, muros
Machina;& instantem sibi, sternitur ante ruinam.
Palpitat, æstuat; angitur; intremit obsessum Cor:
Atque intercluso sensim spiramine, sese
Destitui vità, jam jamque assurgere Parcam,
Credit, quæ rigido distringat guttura nexu.
Mox misero gravis incubat halitus, & premit altè,
Obrui ut injecto sese autumet Appennino:
Atque abrupta inter suspiria, singultusque,
Suppetias animo quærat, tantique levamen
Fascis, ut elisum perimant ne fata Typhœi.
Omnibus assiduus timor imminet: undique mortis
Instantem capiti falcem, jam jamque ruentem
Formidant: cæco clausi ceu carcere sontes;
Si quid fortè strepit, tortorem irrumpere, credunt.
Hinc omnes trepidis explorant auribus auras,
Explorantque cibos omnes, atque omnia tentant
Pharmaca, & ancipites hærent, Medicosque fatigant;
At nullus miseris tortor magè pervigil instat;
Quàm mœror: larvas hic larvis aggerat, umbras
Vmbris: hic animo præsumens sæva, malignus
Fatorum interpres, feralia turbidus augur

Oc-

Occinit, infesto ceu plorans carmine Bubo.
Hinc modò lucifugæ obſcuro ſe condere tecto:
Se modò ſepoſità certant abſtrudere ſylva;
Oſoreſque hominum loca quærunt avia; ut omnes;
Et vel ſe fugiant, quæſita in nocte ſepulti.
Eſt qui ſe tenebris damnat, ſtratuſque cubili
Seſe angues inter medium, ſævoſque dracones,
Serpentumque inter ſinuoſa volumina, fingat:
His animum ſpectris reficit. proh dira voluptas,
Atque atrox morbi ingenium! feralia quę nam
Sint fata, hæc miſero ſi ſunt ſolatia cordi.
Quod ſi funereum venalis Præfica leſſum
Concinat, & ſiculo deducat carmina rythmo:
Triſte melos cupidis exorbens auribus explet
Se lacrymis, fruiturque ſuo mens incuba luctu.
Hæc hypocondriaci videas ſymptomata morbi.
Sed ſatis hæc; namque ipſa exterrent carmina Vatem;
Qui tranſacta ſuos paſſus per tempora manes:
Nunc, ope conceptæ Primi ſine labe Parentis,
Virgineæ Matris, morbo ſeſe exuit atro;
Seque ſuo, compos, feſtinat ſolvere voto.
Huic, age, num peſti rabidas exaſperet iras,
An potiùs tritâ Cocolates ſopiat offâ?

F Diſ-

Dispar adhuc Medicos agitat sententia. nuper
Tres inter sese longo certamine vidi,
Adverso scindi placita in contraria sensu.
Vis hypocondriaco præfervida, Callius inquit,
Est morbo: torquet præfervida discrasis ægrum;
Seu bilis caleat, tumidum sive æstuet hepar.
Iam duplici fervet Cacai potus ab æstu;
Nam calet admixto perfusus aromate, & igni
Appositus, flammis exæstuat. eja age porrò
Quis calidum calido curet medicamine morbum?
Annuo, Mopsus ait, præfervida discrasis ægro est.
At quis nam calido Cocolatis pocula succo
Fœta putet? potum laticis qui temperat humor,
Friget; mexiaci friget nativa Cacai (a)
Temperies, tantoque excedit frigore; ut inter
Noxia ne dubitem glandes censere venena.
Quare ubi mexiacis calidà correptus in oris
Febre jacet, nimiùmque fibris exæstuat æger,
Hunc vulgò Medicis mos est præscribere potum.

Vt

(a) *Nascitur in plagà torridà* Cacao, *tam gelidà humiditate, ut ibi quovis pretio permutetur, ad refrigerandum. Scalig. tract. de plant.* Cacao *refrigerat insigniter. Io. Laer. l. 6. descrip. occid. Ind. c. 2.*

Vt liquor immodicos ægroto leniat æſtus;
Frigoris hinc potiùs ratio me fortiùs urget;
Vt ne hypocondriacis auſim miſcere Cacai
Pocula: nam lentus torpentia viſcera morbus
Obſtruit; ipſe etiam feces Cocolaticus humor
Advehit in ſtomachum, queis fæto ſanguine, venas
Ac tenues obdit cæco ſub pectore ductus. (a)
Scilicet id: præſtant nativo frigore fruges,
Quæ pigrà Chylum fædant uligine: vires
Vt potiùs credas hinc ſævo accreſcere morbo.
  Excipit annoſo præſtans Podalirius œvo:
Hiſque aperit certæ quæ ſit ſententia menti.
Iſta equidem, Patres, haud damnem dogmata: veſtros
Conciliem potiùs firmato fœdere ſenſus.
Mexiacæ, fateor, nativo frigore glandes
Exuperant, multo ſed turgent unguine: cæcis
Pars igitur commixta fibris, atque ignea vis eſt.
Quare ubi defractas mola conterat, atque ſubactas
Miſceat, alterius frangit pars altera vires.
Quin etiam ingenitum tenuat vaginula frigus,

(a) *Ex* Cacao *vel crudo, vel toſto, vel ſaccharo tantùm condito ſubſequi uteri, alvi, hypocondriorum difficillimas obſtructiones, ait Piſo in Mantiſ. Aromat. c.* 18.

Cynnamaque, & calido prægnantia sacchara rore:
Vt mediam credas Cocolati exurgere demum (a)
Temperiem, nostro quæ nulla est aptior ævo.
Nec tamen Invalidis hunc trado, vel abnuo potum;
Cautiùs id præstem; namque, uno nomine, pestis
Multa latet, vario vexans hypocondria sensu.
Scilicet est aliis alio de semine morbus:
Hinc calido spumans Cocolates nectare, Virus
Fortè aliis: præsens aliis est pharmacon ægris.
Quin etiam ipse sibi morbus, sibi diffidet æger
Ipse; intestino dum sæpe reciprocat æstu
Multus, & alternis assultans fluctibus humor.
Vt modò quod juvit, mox ipsum pharmacon obsit.
Hic modo, ceu fornax succensa, efferbuit: at mox
Friget, iners; gelidà rupes velut obsita brumà.
Ille sibi dispar totam simul artubus Ætnam,
Induit, & servare fidem scit flamma pruinæ;
Nam calet, atque alget, calet intus, deforis alget;

Hæ-

(a) *Et si* Cacacius *quantitate excedat cætera ingredientia, illius tamen partes frigidiores, calidioribus coadunata, retunduntur, ut* Cocholata *ipsa emergat temperata facultatis. Piso Mantis. Aromat. c.* 18.

Hæreat ut Medici solertia. Conscius ergo
Quisque sibi, vario sibi noxia noverit usu;
Isque hypocondriacum doceat, num prosit, an obsit
Incoctus purà Cocolates indicus undà.
Sed jam tempus erat, lati post æquoris undas,
Emensosque sinus, puppem præcingere serto.
At me cogit adhuc dubio subsistere ponto,
Quæ dudum doctas agitat lis multa palestras.
Scilicet, ingenio, Superum qui jura, Magistri
Exagitant; certo flectant ut cardine mores:
Acri inter sese studio contendere pergunt,
Num ritu decreta sacro jejunia solvat:
An ne intacta sinat, trito liquor indicus usu.
Sunt qui mexiaci præpinguia semina pomi,
Sacchareumque salem, vesca inter pabula censent.
Scilicet & lapsas reparant in corpore vires,
Esuriemque arcent, ac vitam fomite, firmant:
Chaoniæ ut quondam, Saturno Principe, glandes.
Hinc & detrità Cocolatis fruge, vel ipso
Frangi jussa putant potu jejunia. Quod si
Qui leviùs statuunt, liquidi tibi nectaris haustum
Indulgent, etenim tantilli ponderis offam,
Materiem censere levem sine crimine possis.

Quæ ſemel hauſta, ſacros Iejunj innoxia ritus
Haud violet; ni mixta iterum tibi pocula fundas.
Namque vetant magni nuper decreta Quirini.
Aſt alii, quibus eſt audax ſententia menti:
Non modo permixtà dilutum najade libum,
Quin ipſam ſolidis concretam frugibus offam
Eſcarum numero expungunt: nam frigore metrum
Quòd nimio excedant, Cacai ſemina, ſuetis
Accenſere cibis renuunt, interque venena
Conſtituunt: dulcemque ſalem, quo ſacchara conſtant (a)
Nutrimenta negant labenti apponere vitæ.
Cætera, quæ modico conſpergunt pulvere maſſam,
Condimenta putant, ſtomacho queis gratiùs humor
Accidat, illecebriſque gulam, nareſque laceſſat.
Hinc ſi quis ſolo Cocolatis fomite vitam
Extrahat, atque aſſueta neget ſibi prandia, ſenſim
Contrahet exuĉto marcentem corpore tabem: (b)
Quan-

(a) *Sal aliud marinum, aliud foſſile, aliud metallicum, aliud dulce, & Indicum. Braſavolus l. de exam. ſalium.*

(b) Cocolates *ad modum potus ſumptus, in tantùm non eſt ſufficiens materia pro partium plenà nutritione; ut hoc potu, ſi quis ſine alio cibo utatur, in tabem citò deveniat. Ludov. Ramirez, relatus ab Hurtad, append. c. 4.*

Quando in ſeptenas, hauſtus, vix fulciat horas,
Vrceus, invalidas jejuno in corpore vires:
Haud equidem lapſos pleno quòd nutriat artus
Fomite; ſed multo quod pinguis ab unguine,magnam
Spirituum vim progignat, queis vividus ardor
Emicat, & lentos impellit robore nervos (a)
Hi porrò Medicis Cacai pocula libis (b)
(Antidota antiquo dicunt quæ nomine Graji)
Adnumerant, quæ nulla uſu jejunia ſolvunt;
Ni fraus,interſit, magnique & ponderis offam
Abſumat non ulla ferens jejunia lurco.
Nam licet ingeſtis,alimenta adjungere vitæ,
Antidotis ultrò detur;non his tamen uſus
Hic princeps,ut alant; ſed ut eſcas concoquat acer

(a) *Virium robur,quod ex* Cocolatico *potu in nobis augeri experimur,non provenit,ex nutritione,ſed ex plurimà ſpirituum copià, ab illo genità.Ludov.Ramirez diſcuſſ.*Cocolat. *pot.q.2.Maſſa* Cocolatica *fere tota in ſpiritus vitales mutatur,eo quod abundat vaporosà ſubſtãtià.ſpirituum quidẽ aptà materia. id.q.3.* (b) *Confectio hac indica Electuarii formam ſervat.Gaſpar Bravus p.6. conſult.* 14. §.5. *Quæ nunc Electuaria, olim à Græcis dicebantur Antidota*.

Succus, & in chylum,ſtomacho torpente,laboret.
Hæc illi, magnoque putant ſe auctore tueri. (a)
Demùm alii plexis citiùs ſe exolvere tricis
Poſſe putant; quorum ridet ſententia vulgo.
Hi liquidi,rentur,Cocolatis cymbia,potum
Non eſcam ſtomacho ſubmittere; namque ubi primùm
Mexiacis olim liquor hic inventus in oris,
Hunc tantùm menſis, ajunt,delatus in uſum eſt,
Vt ſtomacho ingeſtas procliviùs invehat eſcas:
Quod nobis Siceræ rores, vel maſſica præſtant.
Hinc illi potus ratio germana;nec æquor,
Aut longo ſuperat curſu quæ litora, cenſum
Immutant,alio ſub ſole, vel indole fraudant,
Quà vel nunc patrio paſſim cenſetur in orbe.
Nec contra eſt,noſtros uſu quòd nutriat artus;
Nam vel rore ſuo dudum producere vitam
Vina queunt; non ulla tamen jejunia frangunt.

Sed


(a) *D. Thom. qui 2.2. q.147. ar.5. ait:Electuaria etiam ſi aliquo modo nutriant, non tamen aſſumuntur ad nutrimentum,ſed ad digeſtionem ciborum.Vnde nec ſolvunt Ieiunium: ſicut nec aliarum medicinarum aſſumptio, niſi fortè quis in fraudem Electuaria in magna quantitate aſſumat per modum cibi.*

Sed ſatiùs, doctis hæc diſpicienda Theoris,
Calliope linquas; ne quis tua carmina Momus
Mordeat, atque alio dum tradis Apolline digna,
Correptam vano vulget te pectoris œſtro.
Hæc ſuper Ammerico ludens Cocolate canebam;
Edomitum bello Lotharus dum victor ad Iſtrum
Carolus, Auſtriaco Leopoldi fulmine, Budam
Obterit, & Scythici diſcerpit ſtemma Tyranni:
Hungariam latè ſubigens, tumidoque ruinam
Bizantj Imperio minitans; ut ruſtica Latro
Thracius antiquæ repetat magalia Burſæ;
Ipſeque trajecta quà Boſphorus advocat undà,
Sacra Godefridi relegens veſtigia, Chriſti
Evectum Labaron Solimà defigat in arce;
Afferat & ſanctum, cœlo plaudente, ſepulchrum.

Libri Tertii
Finis.

ITER

ITER
AD SACRAM
D·MARIÆ MAGDALENÆ
MASSILIENSEM CRYPTAM.



SEptima vertentis jam lux effulserat anni. (a)
Altaque sexdenam disploserat ære canoro
Vix horam Turris: lepidæ cùm linquimus arva (b)
Nicæ, & celsam Cemèli abscondimus arcem. (c)
Ambo alacres: mulis vecti pernicibus ambo. (d)
Haud procul; emensos aprici ad litoris oram
Vix terni spatium lapidis; Nos, agmine aquarum
Septeno labens vicinum Varus in æquor, (e)
Excipit, ac celebri suspensos distinet undâ,
Ille Italos, Gallosque brevi disterminat alveo,

Ar-

(a) *An.* 1668. (b) Nizza *di Provenza*. (c) *Olim Vrbs prope Nicæam, è cujus ruinâ arx superest*. (d) *P. Carolus Berardi. è Soc. Ies. comes itineris*. (e) Varo *flumen quod Provinciam à Comitatu Niciensi separat, prope Nicæam*.

Arbiter, ac certos edicit murmure fines.
Labenti geminus ripam mons figit, & alto
Margine frænat iter tumidum; ne devia campis,
Agricolæ ſpes unda voret. non ille ſuperbo
Vſque gradu incedit, nec toto exuberat amne;
Ni cadat ex alto tabeſcens vertice bruma.
Pervia ubique vado lympha eſt: ſedgurgite in uno
Altiùs, ut nec equi greſſum ferat; increbreſcit:
At præſto exiguus, conducto remige, linter
Adfuit, inque aliam vexit nos palmula ripam.
Aſſidet hinc fluvio Laurenti à nomine pagus, (a)
Vilis, inops; illum lecto ſed gleba racemo
Commendat: Regum debent cui pocula menſæ:
Pocula, quę turgens apiano nectare botrus (b)
Explet; odorato ſpumant & pinguia baccho.
Italiam eggreſſi, præcelſo in vertice collis,
Plurima quem ſtipant frondoſa cacumina, Cagnam
Proſpicimus: multo turritam culmine Cagnam:
Ceu ſpeculam, vigili ſervantem milite campum.

An-

(a) S. Lorenzo. (b) *Muſcatello di S. Lorenzo ex uvis apianis, quòd eas apes libent.*

Antipolim legimus, vasto quam mœnia septo (a)
Obvallant; raro sed friget cive: cadaver
Vrbis, magnanimo quondam vastata Sabaudo. (b)
Hanc, quoniam Franci sedet ad confinia regni,
Arx tegit, adversi propter pomæria muri,
Insidens scopulo; latos ut vertice fluctus
Spectet, & hostiles procul exigat æquore classes:
Illam etiam geminus, parvo sed limite, portus
Ambit, quo Boream ratibus defendit, & Austrum:
Tutaque Neptuno, fractis fovet otia ventis.
Nam ponto excurrens rupes è litore, dorsum
Objicit; alternàque rates statione tuetur.
Tendimus hinc Cannas; Cannæ decreta diurnæ (c)
Meta viæ, quinas Niceno è litore leucas
Dissita; ne longo vexerit nos tædia cursu.
Effusum Cannis procùl est prospectus in æquor;
Vixque undis extans patet Insula, & Insula; quondam
Lerinas celebri dixerunt nomine: nomen (d)
Nunc gemini Indigetes, & faustum nominis omen,

Al-

(a) Antibo *olim Vrbs Episcopalis sub Archiep. Ebrodunensi. nunc Oppidum, & portus. Antipolitani, fateor, sum filia Thynni, Martial. l.* 13. (b) *Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux.* (c) Cannes *statio non temnenda.* (d) Isole Lerinesi.

Alter Honoratus,ſacra Margaris altera donant.(a) (b)
Abripit hanc Gallis Hiſpanus miles, & arcem
Extruit, hoſtili qua tutus ab impete regnet.
At mox obſeſſam Gallus ſibi vindicat armis,
Impoſitamque novo molem munimine firmat,
Atque intentatam longo poſt tempore ſervat.
Illam Cænobii ſedes, ac fama vetuſti
Concelebrat: tutum namque hìc ſibi ſedula nidum
(Halcyonis ritu placidà ſuper æquoris undà)
Relligio ſtatuit: Benedicti è ſidere rores
Hìc turbis procul, & ſpretis procul urbibus, haurit,
Educitque ſuos divino ſemine fœtus.
Inſignes pietate viros hæc inſula, & omni
Doctrinæ excultos cenſu, jam protulit orbi.
Quos inter, celebri ſpectatus nomine, maſtix
Hæreſeon, omni Vincentius eminet ævo. (c)
Hæc nobis lux prima dedit ſpectacula, quam mox
Occiduus tacito tumulavit veſper olympo.
Non dum ſydereum cælo revocaverat agmen
Phoſ-

(a) S.Honorato, *antea Lerina Abbatia celeberrima, quam Sidonius vocat: eruditorum virorum Seminarium.*
(b) S.Margherita *olim, Lero, dicta, ubi arx & præſidium.*
(c) *Vincentius Lerinenſis commonitorii auctor.*

Phoſphorus: ingrato quùm tympana concita pulſu,
Et ſocio lituus modulamine, dura ſopori
Bella movent, totoque jubent abſiſtere lecto.
Surgimus, & ſacris operati, protinus igni
Admotà, mulſum ferveſcere cogimus, ollà:
Mexiacum, dulci ſpumans è ſacchare, mulſum.
Mox cyatho largè exceptum ſorbemus, & hauſtu
Firmamus ſtomachum, crudæque obſiſtimus auræ.
Ergo alacres; totoque micant dum pectore nervi,
Scandimus inſtratos pulvillo deſide mulos.
Haud ego te tacitum, per iniqua oblivia muſæ,
Prætercam, pulville: toro tu molliter artus
Excipis: indociles mihi tu miteſcere ſellas
Lenè doces: cunei turgentes cuſpide ſellas:
Ne rigidas Italus Braccatas ſentiat oras. (a)
Te mihi ſolicità (pretium nec vile labori)
Struxit acu, cyrrhoque Ligur cumulavit equino:
Molle oneris columen: lenimen dulce viarum:
Quo fultus, nec ſaxa Arabum morer alta tolutim
Carpere equo, celeri nec muros ſcandere ſaltu,
Quos olim fuſo cumulavit ſanguine Remus,

(a) *Alludit ad Galliam Narbonenſem, quæ olim dicebatur Braccata, quà Auctor iter habebat.*

Progredimur Cannis;montiſque in vertice Graſſas (a)
Eminùs aſpicio, mox ponti ad littora pagum
Exeſum, ac fœdà triſtem ferrugine: noſter
Hunc ſimul ac Vector proſpexit,longiùs illhinc
Flexit iter, diriſque lares devovit, & altè
Intonuit: ſacro vultus avertite pago ,
Longiùs hinc; cælo nam vindice, certa ruinæ
Mænia vicinos inceſtant rudere campos .
Ille opibus quondam florens,ſtudiiſque marinæ
Thetyos, inſanas ponto deducere naves ,
Atque ipſas potuit devolvere in æquora ſylvas :
Remigibus, Fabriſque potens, queis litora latè
Incaluere, operum varios mirata labores;
At poſtquam ſacras auguſti Numinis aras
(Horrendum dictu facinus) manus improba furum
Polluit, & raptâ diſced ens Pyxide, campis
Effudit gravidas divino Pignore bullas ;
Dixeris inversà Pandoræ pyxide,pago
Incubuiſſe omnes, Erebo ſtimulante, malorum
Infauſtas acies : opibus, ſtudiiſque Coloni ,
Atque animis cecidere: ſilent deſerta catervis

Ar-

(a) Graſſæ *olim Grinnicum , Vrbs Galliæ Narbon, in tractu; ubi olim Deceates populi .*

Artificum ; nulloque operum pulsata fragore
Litora, & effœtam spernit Cyllenius algam.
Ipse sibi est oneri pagus: pudet indice Phœbo
Agnosci, cæcisque caput quò contegat umbris,
Sponte ruit: tanto sub crimine pressa fatiscunt
Tecta, nec annoso debent sua rudera sæclo.
Longiùs hinc: viduas de nomine noscite sedes:
Neapolis pago titulus. proh dissita quantùm (a)
Hæc tibi, quæ profers Italo capita ardua cælo,
Neapolis. nec plura, oculos avertimus ambo,
Vrgentes mulos calcaribus. En tibi montes,
Gallia perpetuo queis finditur intima tractu:
Piniferi montes: nemorosa cacumina: clivo,
Quà facili assurgunt, conscendimus. undique celsis
Occurrunt ramis, ac trunco stipite, pinus,
Et fagi, tiliæque leves, & vertice quercus
Dejecto, ac densæ strages fœdissima sylvæ.
Haud secus, adverso postquam simul agmina Marte,
Conseruere manus, facies sese horrida campi
Explicat, ac truncos passim, fusosque per herbam,
Quadrupedumque, hominumque artus, confossaque telis
Ora virum, galeasque, & fædas sanguine cristas

(a) Napoli: *pagus haud longè à Foro Iulii.*

Objicit, egêstoque fluentia corpora tabo.
Tum Vector: sævis hæc est famosa rapinis
Semita: namque illi denso dùm vertice sylva
Incubat, infestis modò furibus intulit umbram.
Tutior at pridem patuit via. scilicet igni,
Et crebrà circum pinus populata bipenni,
Perdidit infaustam, qua crimina texerat, umbram.
O'utinam populis, inquam, qui jura ministrant,
Non sontes modo, sed qui tutam sontibus umbram,
Fautores scelerum, pręstant, sub vindicis ictu,
Haud aliter cecidisse velint, eademque nocentes
Quæ ferit; ipsa reos feriat censũra patronos.
Sic miseris tutò prostarent civibus Vrbes.
Quà dorso sensim subsidens clivus, in agros
Detumet, antiquo nomen quę debet Iulo, (a)
Vrbs sedet, effusos despectans vertice campos.
Prospicimus: prisci vestigia plurima sęcli
Incurrunt oculis: hinc moles amphitheatri:
Hinc arcus, ductu quà pensilis unda superbo
Fluxit, & augustę quondam se detulit Vrbi.
Ast ubi semiruto portę successimus arcu:

Mi-

(a) Fregiũs: *Vrbs sub Archiep. Aquensi, Colonia Octavianorum, Plinio.*

Mirati impendens ſaxum,capitique timentes:
Area, dejectę buſtum nos excipit Vrbis :
Mox brevis, antiquo ſurgit quę rudere, ſedes:
(Oppidulum rude, inops, Vrbani nominis hęres
Degener) illa Vrbis ſqualentia funera,tabemque,
Ac titulos tantum prętert; aſt cętera Pagus.
Huic olim,laxo tuta ad commercia portu,
Mœnia vicinis mare fluctibus alluit: at nunc
Octonis fermè ſtadiis procul ęquor ab Vrbe
Fluctuat, infoſſoque altè ſulcatur aratro
Campus, ubi ſulcos olim duxere carinę.
Dixeris,antiquę ſplendor quòd concidit urbis,
Dedignantem humili veſtigia lambere pago
Neptunum, tumidam revocaſſe à mœnibus undam.
Sed ſtat certa, vices quę vertit, cauſa: propinqui
Impendent fluvio colles; his conſita quondam
Sylva jugis, nullos exercuit ante ligones:
Conſtitit & glebà dudum ſtipatus inerti ,
Nec luteam clivus demiſit vertice tabem;
At poſtquam cupido deciſa eſt ſylva colono
Vndique, & inflicto defluxit vomere gleba:
Imbre ruente ruit, fluvioque invecta, marinos
Irruit in fluctus, ſeque aggerat undique, lentis

 Sub-

Subcrescens spatiis: aggestum litora litus
Laxat, & imbellem proturbat finibus undam.
Vsurpata fremit Nereus confinia, fraudem
Nec sentit, modico quam furtim pulvere Tellus
Aggerat, & multo dilutam contegit amne.
Sic Neptune tuis haud impar piscibus, escam
Dum fluvii sorbes, tibi guttura devorat hamus.
Hæc mihi, qui tenues, nostri moderatur habenas
Hospitii, docto quo non prestantior alter
Eloquio, latiam facundo è pectore venam
Deproperat: Mario credas ut Consule natum.
Extremas Patrum turmas Hic milite claudit
Triario, paucisque onerum quod castra laborent
Sarcinulis, unum vix censet in agmine lixam.
Tergemini tecto degunt sub paupere Patres:
Mens tribus una, unoque instructa est una Salino
Mensula, & ipsa uno nitens pede, clauditur uno
Orbe. tuo quondam non hoc tu Martia Seclo
Roma vides; en diviso sedet Orbe Triumvir
Consors, nec calidas ad sobria pocula rixas
Miscet, & eterno proscribit federe Martem.
Hìc blandè excepti, crebris certamus ad ignem
Officiis, cenaque famem, sevoque rigentes

Fri-

Frigore,ſolamur flammis crepitantibus artus.
Quæque diù multo nos verbere contudit aura,
Per noctem grato revocat mihi murmure ſomnum.
Qvùm tenebras Eos diſpunxit poſtera,Lucum (a)
Tendimus.in lucem vigiles produxerat iras;
Nec dum pugnacem revocaverat Eolus auram.
Ingruit, adverſoque ferit nos impete, contra
Vt vix obniti fas ſit,vel pergere mulo.
Eole,quo tanto te crimine læſimus ambo,
Acriùs in noſtros violento flamine vultus
Vt biduò irrueres, preſſoque ferociùs ore,
Ducere nec ſineres animam,nec reddere cœlo.
Sic Iapones toto diviſos Orbe Tyrannos
Credimus,ingeſtà ſævire immitiùs undà.
Aſſiduo in vultus undantia labra ſupinos
Exonerant jactu: mora nulla, undæ ingruit unda,
Oraque,compreſſaſque acto dum flumine nares
Obruit, obſtructo miſeris perit aura meatu.
At licet obnixo contendas flamine, Lucum
(Eole diſpereas) tandèm pervenimus: omni
Eole diſpereas flatu, pervenimus ambo,

(a) Le Luc. *Lucus Vocontiorum, Tacito, Oppidum in Delphinatu.*

Ac diris,risuque tuas explodimus iras;
Dum fremis occlusi circum munimina tecti.
Ast quid Ego infensum te conqueror,Eole,mente
Nunc alià rapior. Tibi nos haud perdere vento
Mens fuit, ast uno cursum deflectere Luco,
Ne nostra infandi fædarent lumina cultus.
Hoc erat, ignoto quod murmure prodidit aura:
Hoc erat, adverso quod flamine restitit aura.
Scilicet hìc,tacitò tollens capita horrida cœlo,
Fœda superstitio, Calvini è vertice monstrum
Exitiale,atram proructat fauce mephitim.
Squalida delubri titulo stat Caula: prophanus
Huc Rabula imbutos fatali dogmate cives (a)
Advocat,ac multo blaterat sua somnia bombo.
Nullæ aræ,nulli vigilant ad lipsana lychni,
Effigies Divûm nullæ, crux exulat omnis,
Omnis abest sacrà præcinctus veste Sacerdos:
Squalor ubique, & ubique situs. proh candida Patrum
Relligio, sanctique augusto ab Numine mores,
Quæ vos Mirmidonum perdit vesania? frontem
Quæ simulat,fallitque pio vesania vultu,

At-

(a) Calvinisti

Atque informe chaos formæ ſub nomine fingit. (a)
Huc ò Francigenùm Rex, alto è ſanguine Regum,
Hùc oculos Lodoice, & cæpti martia belli,
Fulmina, magnanimum quando te bellica Virtus
Alciden præſtat, tantamque potentia clavam
Addidit: en Nemeæ ſylvas, en horrida Caci
Luſtra, & funereas ſœvi Buſiridis aras.
Huc huc Herculeam connixo robore dextram
Verte, atque hæc Erebi pomœria contere. Quantus
Quantus eris Superum ſpectante, Orbiſque theatro,
Cùm devincta rotis, fractoque ingloria cornu,
Hæreſis, auguſtum Chriſti ad capitolia currum,
Te victore, trahet, tantoque operata triumpho,
Dejectum vomet illa animum ſub tartara, cœcis
Contumulata umbris, totà ſimul obruta lethe.
Aſt me quò rapidà devexit Pegaſus alà!
Quò feror ò! Vatem phalerato reddite mulo,
Pierides, humili cæptum quò carmine curſum
Proſequar, & fœdo deflectam lumina Luco.
Vos ego Brinolj turres, & candida ſpecto (b)
Mœnia, adorato Lodoici clara ſepulchro,

Reg-

(a) *Religio reformata, ut ajunt Calviniſtæ.*
(b) Brignoles *urbecula Galliæ in Provincia.*

Regia Parthenopes quem protulit aula: penates
Francisci rapuere, humili sub syrmate: demum
Sacra Tolosanæ præfecit & infula Sedi.
Te mox aspicimus, lautis qui, pagule, tectis,
Et celso assurgis visendi culmine fani,
Pagule, cui nomen dat Maximus Indiges, olim (a)
Hùc ipsà Solymis vectus, qua Magdalis, alno.
Tu vultus, visa Calvini sorde, prophanos
Relligione sacras, Divûmque insignibus afflas.
Quantus honor Pago Templi de mole! superbæ
Cui procul invideant celsis è turribus Vrbes:
Quantus honor Templo! supplex vbi lipsana Divûm
Relligio servat, multo quę condidit auro
Regnantum pietas, atque altiûs intulit aris.
Hìc ego Sidonij exuvias, & Pręsulis ossa
Maximij, Marthę cineres, castæque favillas (b)
Susannę veneror, Marcellæ & Virginis artus.
At primos rapiunt tua, Magdali, pignora cultus,
Pignora, queis Siculi ditarunt stemmata Reges,
Sceptrorumque aurum, pretiosa in signa recusum.
Aurea theca caput, cubitum theca aurea claudit,
Integer & vitreo pellucet in orbe capillus.

Hæ-

(a) S. Massimino: *Oppidum prope Massiliam.* (b) *S. Maximinus, primus Aquensis Episcopus.*

Hęret adhuc fronti, lęvi sub temporis oram
OEvo sicca cutis, prærupto pendula frusto:
Hìc illam admoto Vindex redivivus amantem
Abstinuit digito, quùm longè absistere jussa
Audiit: invitum haud tange, ò. vestigia sacrę
Haud temerata manus, tanti frons conscia tactus,
Servat, & averso venerantur sęcula dente.

Hęc ubi sunt oculis lustrata, animisque: sub ortum
Solis, Aquas, celebri dudum quas nomine signat (a)
Sextius, ambo hilares contendimus. eminet omnes
Illa Vrbes inter, longo Provincia tractu
Quas censet; Themidis sedes hìc maxima: legum
Plurimus hìc pandit populis oracula Iudex.
Quis nitor, ò! Lautæ quis promicat eminùs Vrbis,
Sole sub adverso, facies! Stant laxa viarum
Compita: quadrato surgunt Palatia saxo
Ardua; & exculptis jactant sua limina valvis.
Laxior ante alias sese explicat area, leni
Strata solo, longoque excurrens plurima tractu;
Quam vix contento decurras Cyllarę cursu:
Orbitulum vetito dixerunt nomine Fabri; (b)

Sci-

(a) Aix *di Provenza*. (b) Orbitello, *undè Fabri transfugæ, Qui aream illam vocarunt; Orbitello, licet id vetitum.*

Scilicet obsessum miles dum transfuga furtim
Deserit Orbitulum, hìc operam, dextramque locavit.
Amphitheatrali latè patet area circo,
Grata oculis: gemino surgunt è margine celsæ
Tectorum hinc atque hinc moles: contermina celo
Culmina; nec medià desunt solatia ruris
In caveà; triplici namque arbor consita versu,
Explicat umbrosam frondenti tegmine sylvam,
Ac triplici lætum discriminat ordine campum.
Hìc urbis Proceres densæ sub frigore frondis
Invehit aurato sensim levis orbita curru;
Itque reditque viam; ramos dum flamine crispat
Colludens Zephyrus, lenisque reciprocat auræ
Murmura, queis rabidi latratus increpat astri.
Flectit & ipse suos huc alto ex ęthere Phœbus
Ignipedes: quorum radiis exterritus, antro
AEolio Boreas se condit, & hispida brumam
Sol vit hyems, subitoque tepet sub vere December.
At quid porticibus, saxisque affixa moraris
Calliope? totà quod gratiùs accidit Vrbe
Quid retices? totà quod celsiùs eminet Vrbe.
Vos ego, Lojolę soboles generosa Parentis,
Quos mihi germanos alio sub sidere mater

Rel-

Relligio Fratres geminâ dedit indole, tardo (a).
Dum cytharâ ludit, mihi reddere pectine Musam
Conqueror : at subitus quis pectora corripit ardor
Enthea? Phœbe tuus, tuus anne, Amor, æstuat ardor?
Nosco equidẽ, mihi Phœbus Amor, procul este Camenæ:
Hùc Gharites, dum Phœbus Amor, vos este canenti
Numina, & æternas exolvite carmine grates.
Nulla unquam memori te pectore deleat ætas,
Nulla loci tantùm valeant discrimina, nostro
Vt fugias Breignere animo, Breignere tonantem (b)
Quem stupet è rostris, plaudenti Gallia nutu:
Alciden mirata novum, qui nexibus aures
Implicet, & victo referat de corde triumphos.
Non hoc dura mihi indulsit lex temporis, aure
Ipse catenata ut traherer, totusque trophæo
Sisterer, ad tantæ defixus lumina linguæ;
At qando herculeis non aures nexibus, arctè
Officiis animum religas, quæ fortiùs hærent
Et grata ęterno substringunt pectora nodo.
Tu mihi tu faciles augusti Præsulis aures

Et

(a) *PP. Soc. Iesu.* (b) *P. Breinerius Concionator in Ecclesia Cathedrali.*

Et blandos aditus,& principis oscula dextræ,
Concilias:licuit majorem noscere famà
Magnum Heroa suà:Ligurum de Gente Grimaldum, (a)
Ardua cui cano Majestas eminet ore,
Atque ingens toto spirat de pectore Numen:
Mystarum exemplar, flagrans cui tempora murex
Accendit, toti quò luceat eminùs Orbi.

Teque etiam memori complector, candide, cordis
Burguignete,sinu. longi licet evolet ætas (b)
Temporis, & tardo discerpat marmora dente,
Haud unquam nostro sanctum sub pectore frangat
Fœdus amicitiæ, nexo quod brachia collo
Iungunt,& docti firmas mihi munere libri:
Nam quo me potius donares munere? Musas
Qui colis, & variis altè impallescere chartis
Gaudes: Naturæ fibras te Porticus olim
Lustrantem ingenio novit, nunc Templa tonantem
Suspiciunt, linguæ imperio dum pectora flectis.
Dimidium precor ò, animæ,quod diripis, arctum
Fusus in amplexum, serves. Mihi vivida menti,
Quam bene pinxit amor, tua funditùs hæret imago.

In-

(a) *Cardinalis Grimaldus, Archiep. Aquensis.*
(b) *P.Burguignet:Concionator in templo Soc.Ies.*

Indictum nec te sileam Camerete, supremi (a)
Cui Lugdunensis Provincia servat honorem
Præsidis: exactę quùm te solertia mentis,
Et virtus, facilesque ornent sine crimine mores.
Nec te, remque Domus, ac censum sedulus omnem (b)
Qui dudum curas, Quæstoris munere, Regis, (c)
Sanguine qui magnum, & gentili nomine Regin
Exprimis. ille sui quem fudit sanguinis ostro,
Testatus Christi tela inter barbara Numen,
Implevit magni mensuram nominis, & se
Purpureo Regem Superis ostendit amictu.
Te geminà Superi, precor ò, dent sorte beatum.
Extremo tandem meritas tibi carmine grates
Persolvo, Guerine, domus, te Præside, nobis, (d)
Ocyùs hospitio patuit: tua jussa sequutus,
Nos Patrum cœtus tanto dignatus honore est.
O'utinam possim præclara hæc nomina cælo
Sidereis signare notis; ut luce perennent
Vsque suà, sævi timeant nec temporis iras:
Quod licuit, chartis inscripsimus: Equus Apollo
For-

(a) *P. Cameret.* (b) *P. Regis, Procurator.* (c) *P. Regis, pro fide à barbaris Huronib. casus.* (d) *P. Guerin, Collegii Aquensis Rector.*

Forſitan has luſtrans potiori lumine, ceçà
Haud ſinet oblitas tumulari protinùs umbrà.
Vive liber; memori vivant ut nomina libro.
Sed jam fræna vocat Sonipes: monet acer Aquenſi
Vrbe efferre gradum Vector.diſcedimus,alto
Dum ſol urget equos curru: & ſpatiamur apertis
Quà late excurrunt,campis.mox plurima lentè
Dum gradimur;ſenſim retegunt ſua culmina montes:
Abrupti montes: pendentia ſaxa, minaci
Celſa ſupercilio, ac jugi ſimul edita tractu
Aſſurgunt:medium rupes hìc ardua culmen
Evehit, obverſoque auroræ ad lumina dorſo,
Occiduà ſpectat languentem lampade Phœbum:
Saxum informe, ingens,ſcabræ cui tubera frontis
Nuda ſilex, rugiſque altè caperata vetuſtis
Aſperat, ac torvo nubes dat ſcindere cornu.
Hùc oculos,celeres huc ſero veſpere greſſus
Flectimus, huc animos.noſtri meta ultima curſus,
Hìc ſacrum rigido ſub vertice panditur antrum
Magdalidos, ſummo quod ſaxi à culmine ſignat
Conſpicui latè moles extructa ſacelli.
Principio,facili quà ſe mons tollere clivo
Incipit, umbroſam frondenti tegmine ſylvam

In-

Ingredimur: radiis procero vertice quercus
Occurrunt, ſolemque jubent abſiſtere luco.
Vmbra loci, mutuſque horror, latebræque,receſſuſque,
Arboreaſque inter frondes mæſtiſſimus auræ
Sibilus,& rigidæ, rorant queis robora, guttæ
Magdalis os, habitumque,& fœdi corporis artus
Obiiciunt animo. quoties hoc abdita luco,
Diximus, his lacrymas truncis,ac murmura ramis,
Et gemitus auris ſe plectens addidit: umbræ
Vmbra, & ſqualentis macies magè ſqualida ſylvæ.
Ah quoties teneros plantis inſculpſit amores:
Mellitumque omni deſcripſit nomen IESV
Caudice: creviſtis plantæ, creviſtis amores,
Roboraque inſcripto mollita ab nomine, dulces,
Vberiùs multo roraſtis vulnere guttas.
Ah quoties imo,plorans,ſuſpiria corde
Dum trahit,& crebros evolvit pectore queſtus,
Garrula,vicinis habitans in montibus,echo
Rugiit, ingeminans ſuſpiria, flebilis Echo
Hæc tenero ſenſim volventes pectore, in altam
Tendimus excelſo clivi ſub vertice cryptam!
Haud procul hac,vaſto ſe mons abſcindit hiatu,
Atque iter abrumpit; ſed pons inſtratus utramque

Abſciſſæ rupis, ſupremo in margine, frontem
Perſtringens, monti montem ceù fœdere nectit.
Hoc ſimul ac oculis luſtravimus intervallum:
Quì potuit ſciſſa hæc, inquam, pervadere ſaxa
Magdalis, abruptum quò ſeſe inferret in antrum?
Nuſquam alibi via ſternit iter; nec credere fas eſt,
Sublicio quondam devincta hæc ſaxa coiſſe
Ponte, ubi Maſſilię primùm devenit in oras.
Vos illam, ſummo delapſi ex æthere, cætus
Aligerûm, quà ſaxa patent impervia, pennis
Subvectam, abſciſsà volucres in ſede locaſtis.

Vix ponte egreſſos brevis excipit area, ſacri
Area, quæ foribus latè ſubtenditur antri.
Hinc in ſubiectos proſpectus panditur ingens
Colleſque, valleſque omnes, atque omnia ſparſim
Oppida quæ longo claudit Provincia tractu.
Illius extremà ſuſpenſa crepidine Nola eſt:
Quæ ſimul ac pulſo reboans procul intonat ære,
Vndique percuſſi colles, atque undique valles
Ictibus, inſanos geminant per inane fragores,
Totaque multiplici vicinia perſonat Echo.
Quæ ſuetos, excita, refert tibi Magdala cultus,
Oſculaque adproperat ſacræ defigere cryptæ.

Sternitur huic propior, lateri velut addita montis,
Altera, ſed vivo de marmore, latiùs extans
Area, quam valido firmant fundamine rupes:
Naturę ingenio, an ferri molimine ſecta,
Ac podii in ſpeciem ſolido fuſa æquore ſaxi,
Incertum; nam fama ſilet; ſuperimminet ipſi
Structilis, anguſto ſubſtricta domuncula tecto:
Ædituis, Sancti quibus eſt cuſtodia fani,
Hoſpitium breve, ſed lepidum; namque omnia lauti
Cænobii & ſpatia, & quæ vaſa domeſticus uſus
Exigit, ipſa brevi complectitur undique ſepto.
Non ſecùs ac, cæſo compactum ex aſſere, tecti
Exemplar, magnæ quod tectum molis adumbret.
Hìc gemini degunt Guſmani ex Ordine Myſtæ,
Sacra peregrinis, Myſtę, qui ritè miniſtrant.
  Demùm oculos, animumque alacres obvertimus antro.
Stat laxo ſpecus alta ſinu, cui ductus ab imo
Aſſurgenſque ſolo, ſeſe explicat undique fornix;
Quàque oculis proſtat, curvum ſinuatur in arcum.
Obſtruit hunc, vaſtæque oppandit rupis hiatum
Obductus fronti paries, quem findit, utroque
Vna, æquis diſtans ſpatiis à limite, porta.
Ingredimur, fuſique ſolo poſt vota preceſque

Et libata diù venerandis oſcula ſaxis,
Luſtramus ſacrà tacti formidine cryptam.
Quæ latebræ facies! Quis lucem funerat umbræ
Horror! ut abruptà pendentia caute minantur
Saxa! hoc delituit ſub fornice maximus ille
Ignis, & hoc hyemis ſub carcere nutriit œſtus.
Heu quibus incubuit ſtratis! ſex altior ulnis,
Ac totidem ferme in longum, nec quattuor ultra
In latum porrecta ſilex, ſe tollit ab imo
Scabra ſolo, ad ſummum curvi prope fornicis arcum:
Vndique vicinis abſciſſa è cautibus antri,
Mole ſua inſiſtens. hìc quà ſe deſuper æquo
Protendit lecti in ſpeciem duriſſima dorſo,
Exhauſtos pœnis, exhauſtos fletibus artus
Compoſuit, vigili crucians ſe Magdala ſomno.
Aſt nunc incumbens ſaxo ſpectatur eodem,
Exſculptum pario ſpirans de marmore ſignum:
Magdalidos referens vultum, paſſumque capillum:
Cui lævà pyxis, dextrà crux adjacet: artis
Mirum opus, ut dubitent oculi; num corpore pœnis
Durato, in rigidum concreerit Magdala marmor,
An magis in teneros marmor ſe flexerit artus.
At quoniam humano ſe vertice celſiùs effert

Hæc

Hæc,quæ ſuggeſtu lapidis ſuperincubat,Icon,
Quò nequeant oculi viſu pertingere: terni
Exciſà de caute gradus,tibi ſcanſile ſaxum
Præbent, ut caſtis defigas oſcula plantis.
Huc tacitam ſubiens ſeri ſub veſperis horam,
Vota preceſque præit cuſtos de more Sacerdos:
Aſſuetumque canit turbà cum ſupplice carmen.
Iam ſtratæ ad ſilicis frontem, qua limina cryptæ
Reſpicit, exornata ſacris inſignibus ara
Surgit, ubi plures,Divæ ſub nomine, Myſtæ
Votivo peragunt Cœnæ myſteria ritu.
Demùm quo major ſaxo, ſignoque jacentis
Magdalis, atque aræ ſit honos; hæc omnia (ſacris
Vt mos eſt adytis) æratus circumit objex,
Et cancellato complectitur undique ſepto.
At mage nil tenero perſtrinxit pectora ſenſu,
Quàm riguo lacrymans cryptæ de fornice rupes,
Ac vitreà ſenſim rorans aſpergine limphæ,
Quam diſciſſa ſilex imo ſimul egerit antro.
Exesà Divam credas ſub rupe latentem,
Vel nunc ex oculis triſtes evolvere rores.
Crediderim lacrymas duris his cautibus ipſam
Arbitrio legaſſe ſuo, ne Magdalis unquam

Si-

Sisteret à fletu,& quando sibi lumina desunt,
Conscia saxa fleant riguis sua crimina guttis.
Libamus latices, Divamque in vota vocamus:
Magdala pumiceis quando transcribere saxis
Ipsa tuas potis es lacrymas: en saxea corda:
En tibi deductas vivo de pumice fibras.
O age,Diva,tuis has fletibus imbue cautes
Pectoris,assiduo rorent ut lumina fletu.
Hæc ubi dicta,pedem sacro subducimus antro;
Trajectoque iterum de ponte,per ardua mulos
Pellimus,excelsi suprema ad culmina montis.
Est via, quam facili,scandens, terit ungula gressu:
Hàc nobis iter,hàc montis juga scandimus, alto
Et clivo impositam veneramur poplite flexo
AEdiculam: miri monumentum nobile facti.
Scilicet ex antro subvecta curulibus alis
Cælituùm,huc subiit diuino Magdalis œstro
Incensa,hìc septena per intervalla diei,
Delicias hausit Superùm,liquidumque beatà
Ebibit aure melos: felix deducere ab astris
Quæ potis una sibi celestia gaudia,& ipsum
Numen in amplexum procul alto arcessere cęlo.
Sed satis ex voto pietas sibi fecerat. Ergo

Rur-

Rursus iter, sacro montis de culmine, læti
Arripimus: leni quà pronus tramite clivus
Camporum facili subsidit in æquora dorso.
Non hìc arboribus, viridi non consitus herbà
Mons ridet, sterili sed stratus pumice, ubique
Scrupeus, & raro distinctus cespite, pallet.
Vix horæ spatium confecimus: ardua quum se
Massilia, ut Cybele turrito vertice prodit.
Namque molendinis olli longo ordine clivus
Eminet, expositis quæ venti ad flamina velis,
Æoli ad arbitrium, saxo data tritica tundunt:
Annonamque suam infidis Vrbs quærit ab auris.
Suspicimus primo portum undique, & undique ventis
Semper inaccessum; geminus nam collis utrinque
In latus assurgens, illum velut aggere, claudit.
Quà patet, angustis diductus faucibus, ore
Vix hiat, ac ternis, extantibus æquore, pilis,
Atque catenatà, noctu, trabe clauditur: omni
Vel tenui, ut septus, sit plane impervius alno.
Quin etiam ventis vel & hinc impervius; extra
Namque illi adverso scopulus sese aggere dorsi
Objicit, ac tumidas ventorum comprimit iras.
Quà fauces cöeunt; utroque in margine, turres

Qua-

Quadrato ſurgunt è marmore,& oſtia ſervant;
Vndique munità ut ſedeant ſtatione triremes.
Hanc modo,dejectis nitrato fulmine muris,
Rex urbem ſubiit,victoris more, jubetque,
Laxari incluſo latè pomæria campo;
Vt vaſto poſthac pateant nova mænia ſepto.
Maſſiliæ egredimur portis, rectàque Telonem
Tendimus: huic nomen Navarchi fama Telonis
Indidit,ut memorant Lucani carmina Vatis,
(Dirigit huc puppim miſeri quoque dextra Telonis,
Quo nullam melius,pelago turbante,carinæ
Audivere manum) ſedet urbs in litore,& amplum
Explicat ipſa ſibi ſinuato margine portum:
Naturæ non artis opus: quo plurima claſſis
Hybernet,tumidi paveat nec marmoris iras.
Hìc Rex effuſo ſtatuit navalia ſumptu:
Arma ubi, & innumeri artifices, ac tota ſupellex
Nautica,pangendis proſtant digeſta carinis.
Quin etiam multà prudentes arte Magiſtri,
Qui clavum torquere,poli qui ſidera noſſe,
Ventorumque ortus,moreſque,ac pyxidis uſum,
Omniaque edoceant navis momenta regendæ.
Quò fit ut validis percurrens claſſibus æquor,
Vel maris arbitrium pollens ſibi Gallia nuper
Arroget,ac pridem inſuetos ſibi poſcat honores,&c.

IEREMIAS
LACRYMANS,
Seù
IEREMIÆ
THRENI
Paraphrasi Poëtica expressi.

GRASSANTE
NEAPOLI
PESTILENTIA.

1. *Et factum est postquam in captivitatem redactus est Israel, & Ierusalem deserta est.*

2. *Sedit Ieremias Propheta flens, & planxit lamentatione hac in Ierusalem, & amaro animo suspirans, & ejulans dixit.*

Apud Septuaginta Interpretes.

CA-



1. POstquam res Solymæ, Templique evertere molem
Immeritam visum superis, ceciditque superbum
Imperium Iudæ, & capto, jam diruta, cive;
Omnis in abruptos Vrbs cessit in hospita colles.
2. Infelix Vates, Vrbi, Regnoque superstes,
Ruderibus latè aggestis, Patriæque ruinà
Effultus sedit, cineres complexus inanes.
Hìc imo evolvens è pectore pectoris æstus:
Sorde comas, pallore genas, ac lumina fletu
Obrutus, ad tantum tristis ceu præfica funus,
Omnia in hunc, lacrymans, flexit suspiria lessum.

CAPUT PRIMUM.

ALEPH

1. *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo.*

2. *Facta eſt quaſi vidua Domina gentium.*

3. *Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo.*

BETH

4. *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus.*

5. *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris ejus.*

6. *Omnes Amici ejus ſpreverunt eam.*

7. *Facti ſunt ei inimici.*

GHIMEL

8. *Migravit Iudas propter afflictionem, & multitudinem ſervitutis.*

1. *Ha-*

CAPUT PRIMUM.

ALEPH

1. VT jacet! ut deserta suam circumspicit umbram
Ardua, quæ populos Vrbs tulit una duos!
2. Illa, Palæstinam sceptro quæ terruit, illa
Squalet; ut in viduo sponsa relicta toro.
3. Regnorumque potens, regalibus aucta tributis,
Vectigal Domino pendere jussa novo est.

BETH

4. Illius undanti merguntur lumina fletu,
Hæret & attritâ lacryma multa genâ
Vos umbræ testes, vos conscia sidera, tuque ò
Qui vigili excludis lumine, Phœbe, diem.
5. Vix super ipsa sibi est: omnes rapit unus amantes
Turbo; nec miseram qui levet ullus adest.
6. Fortunæ invisam socii sprevere; sodales
Finxit ad ingenium, mobilis, illa; suum.
7. Nec satis: infestum cessit male fidus in hostem,
Qui sociâ sanxit fœdera amica manu.

GHIMEL

8. Exulat heu patriâ Iudas procul exulat urbe;
Ne premat ingenuum serva catasta pedem,

1. *Habitavit inter gentes.*

2. *Nec invenit requiem.*

3. *Omnes persequutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.*

DALETH

4. *Viæ Sion lugent, eò quòd non sit qui veniat ad solennitatem.*

5. *Omnes portæ ejus destructæ.*

6. *Sacerdotes ejus gementes.*

7. *Virgines ejus squalidæ.*

8. *Et ipsa oppressa amaritudine.*

HE

1. Errantemque Moab, & Barbarus excipit Ammon;
Dum ſtudet exilijs occuluiſſe fugam.
2. Aſt nec tuta quies: latebraſque, ſinuſque, receſſuſque
Excutit, & prædœ fervidus hoſtis adeſt:
3. Hoſtis adeſt, inopemque fugæ ſimul occupat; arcto
Sic Lupus obſeſſam tramite ſternit ovem.

DALETH

4. Quæ lapſæ facies Vrbis! quæ funera! quæ nox!
Quotque uno in buſto buſta ſepulta jacent!
Ejulat, heu, vacuis ſuſpirans aura theatris,
Deſertaſque premit triſtior umbra vias.
Scilicet ad ſacros non confluit advena cultus:
Solennique vacant atria muta die.
5. Obruit effracto divulſas cardine, & alto
Rudere contumulat fœda ruina fores.
6. Ingemit atratà gradiens in veſte Sacerdos,
Et lacrymis oculos immolat ipſe ſuos;
7. Ingeminant queſtus, mæſtiſſima turba, puellæ,
Quælibet & Patriæ ſqualida imago ſuæ eſt.
8. Ipſa jacet: ſtratamque ſolo dolor obruit: urnæ
Incubat, ac buſtis adgemit, umbra, ſuis.

HE

1. *Facti sunt hostes ejus in capite: Inimici ejus locupletati sunt.*

2. *Quia Dominus loquutus est super eam, propter multitudinem iniquitatum ejus.*

3. *Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem.*

4. *Ante faciem tribulantis.*

VAV

5. *Et egressus est à filia Sion omnis decor ejus.*

6. *Facti sunt Principes ejus velut arietes, non invenientes pascua.*

H E

1. Dum jacet, ipsa sibi tumulus, sibi & ipsa cadaver;
 Irruit, & miseræ colla supina pede
 Proterit arduus, & spolia ampla eventilat hostis,
 Audacique agitat rapta trophæa manu.
2. Hæc illi hæc fata irato Deus occinit ore,
 Dum ruit effuso per scelus omne gradu.
 Ah poteras animo Solyme prævertere fulmen;
 Namque aures tonitru perculit ante polus.
3. En ut abacta tuo, puerorum examina, collo
 Turpe peregrinæ compedis urget onus.
 Gestiit ad sua damna puer, dum vincula tractat,
 Ferratosque orbes ludicra sistra putat.
4. Nec tamen intereà lenitur pectore miles,
 Imbellesque oculis territat, ungue ferit.

V A V

5. O ubi Reginæ pulcherrima forma Sionis!
 Forma coronatis ambitiosa procis.
 Eheu quàm subitò tenuem defluxit in umbram
 Ardua, qui dudum finxerat ora, decor.
6. Concidit Isacii flos sanguinis: ægra superbum
 Demisit Procerum turba inhonora caput,

1. Im-

1. *Et abierunt absque fortitudine, ante faciem subsequentis.*

2. *Velut arietes, &c. sup.*

ZAIN

3. *Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, & prævericationis.*

4. *Omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis.*

5. *Cum caderet populus ejus in manu hostili.*

1. Et

1. Imbellesque revincta manus, male parta Tyranno
Præda abiit, sævum jussa præire Ducem.
2. Qualè palæstinis ubi gramina nulla viretis
Sufficit, & viduo cespite pallet humus:
Triste pererratis pecus omne immurmurat agris,
Languentemque refert ad sua septa gradum.

ZAIN

3. Non unus Solymæ in pœnas exęstuat hostis;
Ipsa suo clades aggerat ipsa sinu.
Se sibi: regnantem famulæ: viduamque beatæ
Comparat, & lapsis tempora temporibus.
4. Hinc populos, hinc regna suo famulantia sceptro
Aspicit: ad nutus hinc elementa suos:
Vocis ad imperium fugientes æquoris undas,
Retrogradosque amnes vocis ad imperium:
Vocis ad imperium famulantem lampade Phœbum;
Et visa Isaciis astra subesse tubis.
Quin etiam primæ decus omne ab origine gentis,
Eversæ recolit, Gentis ad excidium.
5. Hæc secum; at scenæ flexo mox cardine, circùm
Occurrunt paribus structa theatra malis:
Hinc turmas, hinc arma suo stillantia tabo
Aspicit; ad strages hinc fera bella suas:

Ho-

1. *Et non esset auxiliator.*

2. *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha ejus.*

HETH

3. *Peccatum peccavit Ierusalem.*

4. *Propterea instabilis facta est.*

5. *Omnes qui glorificabant eam, spreverunt illam.*

6. *Ipsa autem gemens, & conversa est retrorsum.*

TETH

Hostis ad imperium disiectos ariete muros:
Eversasque domos hostis ad imperium:
Hostis ad imperium raptantem vincula Regem
Et pressa assyrio pignora lecta jugo.
1. Nec tamen ullus adest, tantæ qui vulnera cladis
Leniat, & sociam præstet amicus opem.
Me miseram, hæc, ait, aspiciens, quàm versa repentè
Scena mihi est: scenæ fabula sum Solyme.
Heu tanti est, superûm leges sprevisse rebellem:
Sunt hæc criminibus debita fata meis.
Sic cladem cumulat scelerum mens testis, & ultrix;
Et nova nox miseræ est, iam sibi lapsa dies.
2. Mole sub hac, superis despectam, despicit hostis,
Et ridet vanà sabbatha culta prece.

HETH

3. Flagitio Solyme ingenti se polluit; uno
Cùm coluit spreto Numina multa Deo.
4. Hinc dubio nutare throno devota ruinæ
Cæpit, & instabili lapsa repente gradu est.
5. Regnantem quisquis suspexerat hospes, avito
Iam malè dejectam despicit imperio.
6. Ipsa oculos retrò, vultumque aversa gementem,
Ludibrio visa est erubuisse suo.

TETH

TETH

1. *Sordes ejus in pedibus ejus; Nec recordata est finis sui.*

2. *Deposita est vehementer, non habens consolatorem*

3. *Vide Domine afflictionem meam; quoniam erectus est inimicus.*

IOD

4. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.*

5. *Quia vidit Gentes ingressas Sanctuarium suum.*

6. *De quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiã tuam*

CAPH

7. *Omnis populus ejus gemens, & quærens panem.*

1. *De-*

TETH

1. Quos demùm in ſcopulos ſcelerum ſe frangeret ęſtus
Haud memor, in pænas irruit ipſa ſuas.
2. En ut depoſitâ regnantis cyclade, nudos
Inquinat abiecto in pulvere ſerva pedes.
Præcipiti, heu miſeram! correpta eſt turbine; tantam
Nec ſupereſt, blando qui levet ore vicem.
3. Aſpice dejectam Deus, ò, Deus aſpice, & hoſtem.
Comprime, nam tumidâ deſpicit aſtra mitrâ.



IOD

4. Invida quæ Regum tenuerunt lumina, quæque
Viderat attonito Fama ſupercilio;
Barbarus hæc captæ rapuit de vertice miles;
Curvaque prædarum faſcibus haſta tremit.
5. Hæc lacrymans ſtetit; exanimis ſed corruit; hoſtem
Vidit ut in ſacros inſiluiſſe lares;
Raptaque barbaricâ divina volumina dextrâ,
Sacrilegis latè depopulata focis.
6. Triſtiùs hæc doluit tua, Numen, probra; profanum
Namque jubes Templi limine abeſſe pedem.

CAPH

7. Illius ante oculos, marcenti languida vultu,
Conſtitit immoto plurima turba gradu,

Pal-

1. *Dederunt pretiosa quæque pro cibo, ut refocillarent animam.*

2. *Vide Domine, & considera quoniam facta sum vilis.*

LAMED

3. *O vos omnes, qui transitis per viam:*

4. *Attendite, & videte, Si est dolor sicut dolor meus:*

5. *Quoniam vindemiavit me;*

6. Ut *loquutus est Dominus, in die iræ furoris sui.*

MEM

Pallida quiſque ſuis urget ſingultibus aſtra,
Optatoſque rogat gutture hiante cibos.
1. Ah pietas! toto mercata eſt prodiga cenſu
Exiguæ Cereris ſordida fruſta fames;
Dira fames! auro vitam, gemmiſque redemit,
Quam lacerent duro ferrea vincla jugo.
2. O Deus, ò magni moderator, & arbiter Orbis,
Hùc precor ex alto lumina flecte polo.
Aſpice quò Solyme recidi: jam degener umbra
Sum Solymes, vili & deprimor umbra ſolo.

LAMED

3. Hùc oculos, ſi qua eſt pietas, adverte Viator,
Quiſquis in adverſo tramite carpis iter.
4. Hùc oculos adverte, mei, precor, ipſe doloris
Arbiter, exitii teſtis & ipſe mei.
Aſpice, an ulla pari creſcant ſuſpiria luctu:
An ſimilis toto ſæviat orbe dolor.
5. Scilicet ille hominum Vindex, cui militat axis
Fulmine, cui vigiles inſtruit AEthra faces,
Ille mihi ultrici rapuit decora omnia dextrà;
Vitibus ut gravidos ruſtica turba botros.
6. Hæc mihi, dum tumidà præfervidus æſtuat irà,
Occinit; at ſurdà ſprevimus aure minas.

MEM

1. *De excelso misit ignem in ossibus meis,*

2. *Et erudivit me.*

3. *Expandit rete pedibus meis:*

4. *Convertit me retrorsum.*

5. *Posuit me desolatam, tota die mærore confectam.*

NVN

6. *Vigilavit jugum iniquitatum mearum:*

7. *In manu ejus convolutæ sunt,*

8. *Et impositæ collo meo:*

9. *Infirmata est virtus mea:*

10. *Dedit me Dominus in manum,*

SA-

MEM

1. Intonuere poli: dextrà Deus ipſe rubente,
   Contorſit rapidas viſcera in ima faces.
2. Illa meas haurit populatrix flamma medullas,
   Et monet officii pæna magiſtra rudem.
3. Extuleram laſciva pedes: ſimul extulit ultor
   Retia, & in noſtros impulit acta pedes;
4. Avertitque retrò invitam; ſimul arduus irà,
   Afflixit miſeræ membra, animumque ſolo.
5. Hìc viduam luctu involvit. procul omnibus, unus
   Vnus adeſt lateri nocte, dieque dolor.

NVN

6. Crimina criminibus, noxarumque orbibus orbes,
   Et ſceleri lentà nexuit arte ſcelus;
7. Conſeruitque meis mihi vincla jugalia probris,
   Vincla diù vigili conglomerata manu.
8. Hoc mox indomitam compreſſit faſce; ſuperba
   (Ne tumeat cervix) colla fatigat onus.
9. Integer ex animo cecidit vigor: excidit, una
   Quæ miſeris ſupereſt, ſpes procul acta ſinu.
10. Ah perii. En quanto mihi cominùs incubat Aſſur
   Robore! quæ nectit vincula noſtra manus!

1. *De qua non potero surgere.*

SAMECH

2. *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei*

3. *Vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos:*

4. *Torcular calcavit Dominus Virgini filiæ Iuda.*

AIN

5. *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas:*

6. *Quia longe factus est à me consolator, convertens animam meam.*

7. *Facti sunt filii mei perditi: quoniam invaluit inimicus.*

PHE

1. Nulla dies miseræ meliori assurgere fato,
Nulla dabit tanto colla levare jugo.

SAMECH

2. Pontifices, Vatesque, augusto & stemmate Reges,
Abstulit Ipse meo, Nomina magna, sinu
Abreptosque atro disiecit turbine: nostras
Extremum in pænas jussit adesse diem.
3. Huc age; Tempus, ait, curvam simul exere falcem:
Demete, & Isacidum turgida colla tere.
4. Dixit, & imposita fatorum mole, trabalem
In me fortunæ pressit & ipse rotam,
Expressitque artus, exhausto sanguine, & altà
Fortunæ attritam sub trabe destituit.

AIN

5. Hinc mihi deciduo tabescunt lumina fletu,
Et dolor assiduo deterit amne genas.
6. Nam procul omnis abest, ægro solatia cordi
Qui ferat, & blando sopiat ore faces;
Effusoque inhibens undantia frœna dolori,
Intermissa animum flectat ad officia.
7. Quis ferat, ò! periit sanguis meus: inclyta Nati
Germina; namque hostes invaluere manu.

PHE

1. *Expandit Sion manus ſuas:*

2. *Non eſt, qui conſoletur eam.*

3. *Mandavit Dominus adverſum Iacob, in circuitu hoſtes ejus.*

4. *Pacta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis inter eos.*

SADI

5. *Iuſtus eſt Dominus;*

6. *Quia os ejus ad iracundiam provocavi.*

7. *Audite obſecro univerſi populi,*

8. *Et videte dolorem meum:*

9. *Virgines meę, & Iuvenes mei =*

CAPH

PHE

1. Sciſſa genas, diſcincta ſinus, ac pulveris imbre
Fæda, caput tumidis extulit è lacrymis:
Expanditque Sion in opem palmaſque, preceſque;
Et palmæ lacrymis, & maduere preces.
2. Nec tulit ullus opem, lacrymis nec flectitur ullus:
Nullus adeſt tantum qui levet hoſpes onus.
3. Aſsyrios procul ipſe tubà Deus extulit, arcto
Qui Solymos cingant cominùs hoſte lares:
4. Sorduit, hos inter, Solyme, ceu fæmina, tabo
Menſtrua quam fœdat ſanguinis illuvies.

SADI

5. Digna malis patior: merito me fulmine plectit
Exſtimulata meis Vindicis ira malis.
6. Ipſa ego, queis uror, divino in pectore flammas
Ipſa alui, noſtro me Deus igne ferit.
7. Vos ego, vos populi, genteſque, urbeſque repoſtæ,
Quæque procul toto degitis orbe, precor:
8. Excipite hos gemitus, hùc ferte, ò, lumina; quanto
(Cernite) me perpes lancinet ungue dolor.
9. Heu, mea progenies; mea dudum vita, puellæ
Ingenuique, meæ deliciæ, Iuvenes,

1. *Abierunt in captivitatem.*

CAPH

2. *Vocavi amicos meos: ipsi deceperunt me.*

3. *Sacerdotes mei, & senes mei in urbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam.*

RES

4. *Vide Domine quoniam tribulor.*

5. *Conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memet ipsa; quoniam amaritudine plena sum.*

6. *Foris* =

1. Fo-

1. Hoſtile in ſpolium capti ceſſere: pudendo
Abducti raptant membra tenella jugo.

CAPH

2. Excidio propior, Socios, ſpe freta, rogavi,
Vt mihi ſuppetias ferret amica manus.
Nulla fides ſociis; viſo namque eminùs hoſte,
Protinùs effuſà terga dedere fugà.

3. Nec ſpes ulla domi: ſacro non igne Sacerdos,
Non me conſilio ſuſtinere ſenes.
Vna ſenes, myſtaſque, animæ dum fulcra labanti
Exquirunt, vacuà ſtravit in urbe fames.

RES

4. Omnibus abiectam mihi te, Pater optime, ſiſto,
Et retego undantem ſanguinis imbre ſinum.
Aſpice ut aſſiduà curarum vepre cruentor,
Vt fodit obſeſſum plurima pœna latus.

5. Obruor, heu: niger in me Maræ fluctus, & omnis
Irruit in noſtros Styx revoluta ſinus.
Hæc atro abreptam torquet mihi flumine mentem:
Hæc imà raptat corda revulſa fibrà.

6. Quò ſe cunque oculi vertunt, mihi mortis imago
Inſtat, & attonito conficit ora metu.

De-

1. *Foris interficit gladius, & domi mors similis est.*

SIN

2. *Audierunt quia ingemisco Ego,*

3. *Et non est qui consoletur me.*

4. *Omnes inimici mei audierunt malum meum: lætati sunt;*

5. *Quoniam tu fecisti.*

6. *Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.*

THAV

7. *Ingrediatur omne malum eorum coram te*

I. Vin-

1. Deforis iratus vorat ipsa cadavera mucro :
Ipsa domi lacerat funera nostra fames.

SIN

2. Extulit, ah! tantæ murmur fatale ruinæ;
Extulit & gemitus tristior aura meos ;
3. Nec tamen ulla mihi lenes tulit aura susurros,
Queis relever, tanto ceu rediviva rogo.
4. Audiit infestus, qui me circumspicit, hostis,
Quæ miseram, Domino vindice, damna premant,
Audiit,exiitque ferox, tristemque querelæ
Ad numerum festo nexuit orbe choros.
5. Nam quæ tam multo fædant mihi vulnere pectus
Tela, fuere tuà fulmina torta manu.
6. Ast nova quæ lapsam revocant præsagia mentem?
Auguror:haud vanà luditis astra fide.
Corruet AEgyptus Medo sub milite; Idume
Corruet, & pænas par feret urna pares.
Illa mihi tristes animo lux comprimet æstus;
Nam minùs est, misero compare, quisque miser.

THAV

7. Ergo age,queis turpes horrent, scelera omnia Censor,
Lustra, oculos feriant cominùs illa tuos.

1. *Vindemia eos, sicut vindemiasti me,*
propter iniquitates meas

2. *Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.*

CAPUT SECUNDUM.

ALEPH

1. *Quomodo obtexit caligine in furore suo*
Dominus filiam Sion!

2. *Projecit de cœlo in terram inclytam Israël,*

3. *Nec recordatus est* ⇉

1. Exere fulmineam, Deus ò Deus, exere dextram
An Solymæ tantum demetet illa caput ?
Exſecuit gravidos mihi falx inimica racemos,
Plecteret ut noſtrum durior urna nefas.
En ut me miſeram non uno crimine perdunt;
Exſecet his gravidos falx inimica botros.
2. Hoc gemitus te, Dive, mei, queis obruor; hoc te
Mærens cor, lacrymà ſupplice, Dive, rogant.

CAPUT SECUNDUM.

ALEPH

FVndite inexhauſtos, mea lumina, fundite fletus.
Par cineri lacrymis turgeat urna meis.
1. Hanc Ego te, Solyme, aſpicio! Tu ne illa Sionis
Filia, cui Regum ſtemmate fulſit apex!
Vt nigra involvunt mæſto tibi ſyrmate frontem
Nubila, divinà nubila texta manu!
2. Sidereum celo extuleras caput; at procul alto
Te dedit in præceps Numinis ira polo.
3. Nec te ſacrificis exſtructa altaria flammis
Nec texère adytis Sancta verenda ſuis.

1. *Nec recordatus est scabelli pedum suorum, in die furoris sui*

BETH

2. *Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob.*

3. *Destruxit in furore suo munitiones Virginis Iuda, & dejecit in terram*

4. *Polluit regnum, & Principes ejus*

1. O Adyta! ò Geniis invecta curulibus arca,
Quam Deus augusto presserat ipse pede.
Vos etiam immerito furor immemor obruit æstu!
Vos etiam immerito perdidit excidio!
Fundite inexhaustos, mea lumina, fundite fletus:
Par cineri lacrymis turgeat urna meis.

BETH

2. Nequidquam tanto sudastis sæcla labore;
Vt nostrà æternus surgeret vrbe nitor.
En ut in extremam incubuit Deus ipse ruinam,
Nec Solymæ flexit fulmina cæca decor.
En ut structa diù seris miracula seclis
Vna dies rapuit, perdidit una dies.
3. Extulit è tumidis Solyme caput arcibus, & se
Mirata est celsis imperitare jugis.
Sprevit & infestos turritis mænibus annos,
Iactavitque suas, stemmate cincta, comas;
Ast tumidam sprevit divini Vindicis ira,
Murorumque altas risit ab axe minas:
Stravit & insanas, Regum molimina, turres:
(Obvallant nudum pergama nulla scelus.)
4. Polluit augusto sacrum diademate regnum
Et fædà Proceres obruit illuvie.

GHI-

GHIMEL

1. *Confregit in ira furoris sui omne cornu Israël:*

2. *Avertit retrorsum dexteram suam à facie inimici,*

3. *Et succendit in Iacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.*

DALETH

4. *Tetendit arcum suum quasi inimicus:*

5. *Firmavit dexteram suam, quasi hostis:*

6. *Et occidit omne, quod erat pulchrum visu in tabernaculo filiæ Sion*

7. *Effudit quasi ignem indignationem suam*

HE

GHIMEL

1. Cornua, fœdifragas queis Iudas eruit Vrbes,
Fregit; & incusso proruta calce premit.
2. Quæ nostris clypeus turmis, quæ tessera, quæque
Faustum pugnanti robur, & omen erat,
Hanc procul aversam isacio Deus agmine dextram,
Abstulit, & rapido Mars simul hoste ruit.
3. Ipse olim Solymæ murus, sese aggere, sese
Arce, diù nostrum texit ab hoste latus:
At mox irato ejaculans incendia vultu,
(Ceu struerent unum mænia nostra rogum)
Succendit velut igne vrbem undique, qui simul omnes
Absumpsit, flammà depopulante, lares.

DALETH

4. Hostis in adversum ceu spicula dirigit hostem,
Fulmina sic arcu torsit & ipse suo.
5. Firmavitque manum, certos ne falleret ictus:
Ne caderent vacuo sibila tela sono.
7. Quidquid in augusto, visu spectabile, Templo
Ornabat sacros relligione focos
7. Perdidit; ut rabido flammas vomit AEtna camino;
Ignea sic fudit Vindicis ira faces.

HE

1. *Factus est Dominus velut inimicus:*

2. *Præcipitavit Israel:*

3. *Præcipitavit omnia mœnia ejus: Dissipavit munitiones ejus;*

4. *Et replevit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam*

VAV

5. *Et dissipavit quasi hortum tentorium suum; demolitus est tabernaculum suum*

6. *Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & sabbathum*

7. *Et in opprobrium, & in indignationem furoris sui, Regem & Sacerdotem*

ZAIN

HE

1. Exuit, heu, Patrem, ac ſævum velut induit hoſtem,
Effracto in pænas dum Deus axe ruit.
2. Abramidas celſo rerum de culmine raptos,
Vndique fatales impulit in ſcopulos;
3. Mœniaque, & Regum veſana palatia, turreſque,
Editaque antiquo lauta theatra foro
Præcipiti imminuit deſiecta in rudera caſu,
Quæ,nata è Procerum ſanguine,ſylva tegat.
4. Proh quanti Superum exundant è pectore fluctus!
Ac fœdà Iudæ pignora ſorde replent!
Sternimur obſcæno deſpectum in pulvere vulgus,
Et proni aſſyrios lingimus ore pedes.

VAV

5. Qualis nubifero violenta ex aere grando
Hortenſem rapido diruit imbre caſam,
Haud ſecus ipſe ſua evertit tentoria, & ante
Iam ſibi ſepoſitum ſtravit ab axe larem.
6. Splendida lethæo tumulavit ſabbatha fluctu,
Merſit & immemori feſta verenda ſitu.
7. Quin & Ieſſæi metuenda inſignia Regni,
Quæque tegunt ſacros ſtemmata celſa Patres

1. *Et in opprobrium, & in indignationem furoris sui Regem & Sacerdotem.*

ZAIN

2. *Repulit Dominus altare suum:*

3. *Maledixit sanctificationi suæ:*

4. *Tradidit in manus inimici muros turrium ejus.*

5. *Vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solenni*

HETH

6. *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion:*

1. Tradidit aſſyriis in læta crepundia pupis,
   Regemque, ac Myſtas obruit opprobrio.
Hùc furor evaſit, divini hùc pectoris æſtus.
   Heu quis in Iſacidum proruit ora pudor!

ZAIN

2. Noſtra quis ad Superos vehat ignis vota, loquaci
   Murmure, quæ noſtras fulciat ara preces!
Diruit intorto Deus aram fulmine, & omnis
   Occidit everſo pulſa favilla foco.
3. Quæ pecudum fuſo ſacrarat ſanguine Templi
   Atria, nunc diris devovet ipſe ſuis.
4. Impulit hoſtiles metuenda in limina dextras,
   Fixaque ſunt ſacro barbara ſigna tholo.
5. Ceu reboat lætis plaudentum vocibus icta
   Porticus ad feſtos quum vocat hora dies;
Haud ſecus inſanos tonuerunt tecta fragore
   Vndique, per ſacros hoſte ululante lares.

HETH

6. Regna ſupercilio qui temperat, Ille Sionis
   Mænia fatali diruere excidio,
Indomitamque ſuà Solymen calcare ruinà
   Conſtituit; fauſto ne tumeat ſcelere.

1. *Tetendit funiculum suum, & non avertit manum suam à perditione ;*

2. *Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.*

TETH

3. *Defixæ sunt in terra portæ ejus; perdidit, & contrivit vectes ejus :*

4. *Regem, & Principes ejus in gentibus.*

5. *Non est lex, & prophetæ ejus non invenerunt visionem à Domino.*

IOD

6. *Sederunt in terra* =

1. Se-

1. Dixit, & ex omni metatus mænia gyro,
Intulit iratas arcibus ipſe manus:
Intulit, & crebro non ante avertit ab ictu,
Quàm tegeret foſſas una ruina duas.
2. Murorum aggeribus muri adgemuere, ruentum
Intremuere gravi Tartara, & aſtra ſono.

TETH

3. Infoſſas hauſit diſciſſa à pondere portas
Tellus, & fractæ diſſiliere trabes.
4. Haud aliter, ſciſsà Regni compage, per omnes
Abramidum Proceres diſſiliere plagas.
Infoſſuſque alto Princeps in carcere, ſolem
Perdidit, & buſto ſors tumulata ſuo eſt.
5. Lex periit, tacitos nulla evehit exedra Myſtas,
Qui promant ſacris abdita ſenſa notis.
Captarunt dubii divina oracula Vates;
At ſuperum firmas obſtruit AEthra fores.

IOD

6. Haud ſtetit ad tantæ ſpectacula ſæva ruinæ
Civis, & in cineres urbe ruente, ruit.
Illã hoſtis; dolor hunc quatit improbus: illa per herbã
Spargitur, hunc patriæ in rudera mæror agit:

 1. Abie-

1. *Sederunt in terra: conticuerunt Senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua: accincti sunt ciliciis*

2. *Abiecerunt in terram capita sua Virgines Ierusalem.*

CAPH

3. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei:*

4. *Conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra jecur meum,*

5. *Super contritionem filiæ populi mei;*

6. *Cum deficeret parvulus & lactens in plateis oppidi.*

1. Abiecti jacuere Senes: ſpirantia paſſim
   Funera, ſingultu vix animata ſuo.
Quin & villoſo tumulantes corpora ſacco,
   Fædarunt atri pulveris imbre caput;
Defixique oculis tenuere ſilentia: queſtus
   Perdidit, attonito dum ſtupet ore dolor.
2. Nec minùs imbelles ſimul hæc ſtravere puellas
   Fulmina, & è cælo quęlibet icta ruit;
Abiecitque animum, paſſoſque in pulvere crines,
   Et viſa eſt Patrię præfica quęque ſuæ.

CAPH

3. Hei mihi, quæ noſtrum foderunt vulnera pectus;
   Dum Patriæ cogor teſtis adeſſe rogo.
In geminos abiere amnes mihi lumina, fletu
   Exhauſta; ac triſti lux mea merſa mari eſt.
4. Infremui: vehemens torſit mihi viſcera turbo,
   Et jecur evulſum pectore fudit humi;
5. Dum tota extremo mea Gens attrita flagello,
   Viſa mihi eſt cineri ſuccubuiſſe ſuo:
6. Dum tener in triviis, omni procul ubere, anhelis
   Faucibus, exanimi concidit ore puer.

LAMED

1. *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum, & vinum*

2. *Cum deficerent quasi vulnerati in plateis Civitatis;*

3. *Cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.*

MEM

4. *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia Ierusalem?*

5. *Cui exæquabo te, & consolabor te, Virgo filia Sion?*

6. *Magna est velut mare, Contritio tua: quis medebitur tui!*

NVN

7. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta*

1. Nec

LAMED

1. Occurrere ſuis, jejuno gutture, Nati
Matribus, infeſto quos agit ungue fames.
O ubi, quæ noſtros, iterant, ſoletur hjatus,
Quæ miſeris ſiſtat proxima fata, ceres?
2. Aſt ubi congeminant queſtus, mors arida labris
Obrepit, fracto vox perit ipſa ſono.
Atque hic, dum properat, reſupino poplite, ſternit,
Mollis ut inciſo ceſpite caltha, viam;
3. Ille famem matris gremio dum languidus infert,
Materno immoritur flebilis umbra ſinu.

MEM

4. O cui te geminam memorem; tibi virgo Sionis
Filia, quem luctu ſuſpicer ire parem?
5. Nulla parem memorat vel mendax Fama ruinam;
Quò tanta, exemplo compare, damna levem?
6. Vnda maris vaſti, nullo quam litore tellus
Ambit, & immenſo ſpumat in Oceano,
Hæc potis una tuos ſignare intermina luctus?
Eheu quæ tanto ſat medicina malo eſt!

NVN

7. Impoſuere tuis mendaces Vatibus umbræ;
Teque aluit ſtultis enthea turba dolis,

1. *Nec aperiebant iniquitatem tuam; ut te ad pęnitentiam provocarent.*

2. *Viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & ejectiones.*

SAMECH

3. *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam:*
Sibilaverunt, & moverunt caput ſuum ſuper filiam Ieruſalem:

4. *Hęccine eſt* Urbs, *dicentes, perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ?*

PHE

5. *Aperuerunt ſuper te os tuum omnes inimici tui:*

6. *Sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt:*

1. *De-*

1. Nec tua, quæ fleres, dempto tibi crimina fuco;
   Nec superum gravidas intonuere minas.
2. Heu miseram! falsà dum spe te somnia lactant,
   Obrepsit tacito concita pœna gradu.
Excidium, exiliumque vides: hæc ultima fati
   Damna tulit vano murmure fulta fides:
Hæc speciosa tibi texère oracula Vatum;
   Dum canerent sceptris addita regna tuis.

SAMECH

3. Substitit, & fati pressam te mole, viator,
   Infesto cumulans fata supercilio,
Risit; & excusso crebra inter sibila collo,
   Complosit geminas ad tua damna manus.
4. Mox prima improperans exactæ munera sortis;
   Dentatoque acuens ludicra verba joco:
Hæc, ait, hæc Asiæ decus est? hæc orbis ocellus:
   Hæc Vrbs, & famà major, & invidia?

PHE

5. Vnà omnis rictus in te vigil extulit hostis:
   Ceu tumet in prædam sibilus ore draco;
6. Irrugiitque ferox, & anhelo gutture in escam
   Dente inhians, cornu pronus, & ungue rapax

1. Mox,

1. *Devorabimus:*

2. *En ipsa est dies quam expectabamus:*

3. *Invenimus, vidimus.*

AIN

4. *Fecit Dominus, quę cogitavit, complevit sermonem suum, quem prçcepcrat à diebus antiquis:*

5. *Destruxit, & non pepercit.*

6. *Lętificavit super te inimicum,*

7. *Et exaltavit cornu hostium tuorum*

SA-

1. Mox, ait, iniecto discerpam viscera morsu ;
 Impleboque avidam pectoris ingluviem .
2. Hæc est, quæ nostro lux olim debita voto ,
 Spem mihi solicità distulit una morà .
3. En illam lepidus redivivo detulit astro
 Phosphorus: en oculos explet & illa meos.
Huc age erythræos socii deferte lapillos:
 Hæc lux, hæc albà rideat usque notà.

AIN

Plaude hostis; jam nostra peracta est fabula: fuso
 Flebilis Abramidum sanguine scena tumet.
4. Occidimus, tacito Numen quas pectore voluit ,
 Quas Vatum spreto, protulit ore minas
Iam Solyme defles ! (5) Orbis spectante theatro
 Edidit extremum nostra ruina sonum .
Occidimus: rapido obtritam te fulmine Vindex
 Perdidit; extremo flexa nec ira malo est,
6. In pænæ cumulum, dum præceps corruis, hosti ,
 Miscuit è lacrymis gaudia plena tuis .
7. Iam cornu tumet ille, & cristas vertice jactat ,
 Ac numerat spoliis crimina nostra suis.
Ipse unus supero tantæ post funera cladis;
 Ne careat mæsto fabula nostra choro

SA-

SADI

1. *Clamavit cor eorum ad Dominum, super muros filiæ Sion.*

2. *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem:*

3. *Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.*

COPH

4. *Consurge lauda in nocte, in principio vigiliarum:*

5. *Effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini:*

1. *Le-*

SADI

1. Gestiit hæc pavidus collo devolvere fata
Civis, & ad superos corda manusque tulit.
Qui gemitus! quæ vota! tubæ dum martius horror
Intonat extremum mœnibus excidium.
Hinc muros hostis quatit ariete: sidera pulsat
Hinc Solyme; ad nostras sidera surda preces.
2. Ast ne cede malis, Virgo, nova vota, precesque
Instrue, sæpe quatit lacryma multa polos.
Ergo age, & in geminos undantia lumina rivos
Egere, ceu vernà dum tumet amnis aquà:
3. Demersam lacrymis cernat te Phosphorus: idem
Demersam lacrymis Hesperus aspiciat.
Nulla oculos condat taciturno palpebra nictu;
Neve premat riguos pupula muta sonos.

COPH

4. Rumpe moras; erecta tuo caput excute busto:
Te dolor ad primas excitet excubias.
Evocet ad laudes, magnæque encomia Mentis,
Quæ toto instabiles temperat orbe vices.
5. Qualis ab eversà liquor effluit eminus urnà;
Sic tibi discisso è pectore corda fluant,

1. *Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum,*

2. *Qui defecerunt in fame, in capite omnium compitorum*

RES

3. *Vide, & considera, quem vindemiaveris ita.*

4. *Ergo ne comedent mulieres fructum suum,*

1. *Parv-*

Ac rigidi demiſſa pedes allambere certent
Numinis; ut fuſas ebibat aure preces.
1, Tolle oculos, lacrymis dum rorant; tolle ſupinas,
Pro fœdo infantum funere,ad aſtra manus.
2. Quos, heu, dira fames lentæ per tædia mortis
Stravit, ut alba gelu lilia ſternit hyems.
Servat adhuc pietas Superum ſub pectore amoris
Semina, quæ ſupplex excitet ore dolor:
Sopitam elicies repetito flamine flammam,
Affusà reparet quæ tibi luce diem.
Quare age dejecto divina ad fulmina vultu:
Hac, Solyme, Domini pectora tunde prece:

RES

3. Dive Parens, admiſſa, reis, qui crimina donas,
Quem facilem præſtat pœna vel ipſa patrem.
Pende,precor, ferro quem ſic diſtrinxeris; omni
Quem ſic nudaris palmite, fronde, botro.
Illa ego ſum Solyme, tua quondam cura, paterno
Quam ſæpe adſtrictam pectore fovit amor.
Hanc tuus effræni furor impulit incitus enſe,
Iuſſit & extremo ſuccubuiſſe malo.
4. Ah viden! impaſti rabies ſæviſſima ventris,
Dum fremit,in quantum compulit ire nefas.

1. *Parvulos ad mensuram palmæ*

2. *Si occiditur in Sanctuario Domini Sacerdos, & Propheta*

SIN

3. *Iacuerunt in terra foris Puer, & Senex;*

4. *Virgines meæ, & Iuvenes mei ceciderunt in gladio*

5. *Interfecisti in die furoris tui, percussisti, neque misertus es.*

THAV

Dedidicit Matrem genitrix,induta leænam ;
Arsit & in teneri pignoris ingluviem .
Fallimur. hæc libycis rabies ignota leænis :
Exhorrent tantum monstra vel ipsa nefas .
1. Quem brevis exiguum metitur palma puellum ,
Hunc vacuo abstraxit pectore dira parens ,
Dira parens:cæco puerum quæ diffidit ense ,
Quæ lento imposuit lactea membra foco :
Ac teneros inhians discerpsit morsibus artus
Seque aluit Nati funere sæva sui .
2. Hùc pater ò,miseros tua compulit ira, nec ignis
Deflagrat: en quanto templa cruore madent .
Fædarunt fuso Vates oracula tabo,
Atque aras Mystes imbuit ipse suas .

SIN

3. Mixta Senum, puerùmque altis densantur acervis
Funera , Idumæis præda relicta feris .
4. Florentes ævo Iuvenes, patriique puellas
Spem generis,cæco messuit ense furor.
5. Nulla tuam, Vindex,tenuit Clementia dextram;
Parque exundanti ferbuit ira mari .
In damna, in cædes, in fulmina decidit AEthra,
Præcipitemque tuà se dedit acta manu .

 THAV

THAV

1. *Vocasti quasi ad diem solennem, qui terrerent me de circuitu*

2. *Et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, aut relinqueretur.*

3. *Quos educavi, & enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.*

CA-

THAV

1. Ceu ſonat ex alto tuba vertice, dum ciet omnes
Ad feſtum patriâ relligione diem,
Haud ſecus ex alto tonuerunt bellica cælo
Claſſica, queis circum concitus hoſtis adeſt.
Te ductore, ſuis eductus ab urbibus Aſſur
Irruit in noſtros, turbidus ore, metus.
Vt vidi! ut perii! ut mihi frigidus ingruit horror!
Dum mea criſtatus mænia miles obit.
Vltima quæ noſtrâ lux eſt ſignata ruinâ
Hoſti ſolennem præbuit illa diem.
2. Ah refugit meminiſſe animus: falx incita nullum
Præteriit, Domini dum furit ira, caput.
3. Quos gremio fovi; blando quos ubere Natos
Ipſa alui, raptos ubere lixa premit.
Nulla illi è rabidis præda excidit unguibus: omnes
Aſſumpſit, dirâ compede, cæde, fame.

CAPUT TERTIUM.

ALEPH

1. *Ego vir videns paupertatem meam,*

2. *In virga indignationis ejus*

ALEPH

3. *Me minavit, & adduxit in tenebras,
& non in lucem*

ALEPH

4. *Tantùm in me vertit; ac convertit
manum suam*

BETH

CAPUT TERTIUM.

ALEPH

1. ILle Ego, qui lacrymas Solymæ ſuper ardua jacto
Rudera, qui patrium conqueror excidium:
Efferor ipſe etiam, tanti pars funeris; ipſe
Vix ſupero, cineris mobilis urna mei.
2. Hos olim caſus Mens nobis præſcia Vatum,
Prodidit; at fati conſcius ipſe tuli.
Nam dum præcipiti furit indignata flagello,
Sæviit in noſtrum Numinis ira caput.

ALEPH

3. Ille ego ſum, denſà quem carceris obruit umbrà;
Iuſſit & unà omnes perdere nocte dies.

ALEPH

4. In caput hoc, tenebris, cænoque, ſituque ſepultum,
Vertit fulmineas, ore fremente, minas;
Ac velut ignitum, verſans, incude metallum,
Hinc atque hinc tundit ſedulus arte Faber;
Haud ſecus, inflictis me contudit ictibus Vltor;
Solicitam alternans ad mea damna manum,

BETH

BETH

1. *Vetustiorem fecit pellem, meam & carnem meam: contrivit ossa mea.*

BETH

2. *AEdificavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.*

BETH

3. *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.*

GHIMEL

4. *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar,*

5. *Aggravavit compedem meum.*

GHIMEL

6. *Sed & cum clamavero, & cum rogavero, exclusit orationem meam.*

GHI-

BETH

1. Aſpice ut exhauſto marcent mihi corpore vires,
Aſperat ut tremulam plurima ruga cutem :
Seſe attrita ſimul collidunt oſſa; ſenectus
Me præcox, ipſo depr'operante, premit.
Scilicet eſt fatis ætas, ſua; contrahit annos,
Et glomerat, citiùs tempore, pœna dies.

BETH

2. Aggeribus circum extructis me ſepſit, & atro
Obſedit luctu, felle, labore latus.

BETH

3. Poſthumus ipſe mihi videor; modò namque nigranti
Damnatus tumulo, flebile funus eram.

GHIMEL

4. Ne fugerem, denſà muros indagine circum
Extulit, & rupes rupibus impoſuit.
5. Nec ſatis: adjecto geminavit vincula ferro;
Et compes novus in carcere carcer erat.

GHIMEL

6. Clamabam: fer Numen opem, ſed dextera voces
Submovit, ſubito quas tulit aura joco.

GHI-

GHIMEL

1. *Conclusit vias meas lapidibus quadris: semitas meas subvertit*

DALETH

2. *Ursus insidians factus est mihi: leo in abscondito*

DALETH

3. *Semitas meas subvertit*

4. *Et confregit me.*

5. *Posuit me desolatam*

DALETH

6. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.*

HE

7. *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.*

GHIMEL

1.Efferor è tenebris animo, circum omnia lustro;
Si qua patet misero rima relicta fugæ.
Nulla fugæ mihi spes;saxis namque undique septus,
Carcere delituit trames & ipse suo.

DALETH

2. Qualis inexpletum Leo conditus instruit unguem;
Pendet & occultas Vrsus in insidias:
Haud secus in prædam mihi Vindicis instititit ardor,
Induit & geminam pectore, & ore feram.

DALETH

3. Quà fugerem?mihi nulla viæ spes integra; namque
Subruta jam deerat semita & ipsa sibi.
4. Obseptum crebro fregit me stipitis ictu,
Attritusque gravi verbere pulvis eram.
5. Destituitque omni miserum solamine, nostri
Quid superest? heu, Vox, Lacryma, & Vmbra sumus

DALETH

6. Quin etiam, intento curvatis cornibus arcu,
Me telis signum compulit esse suis;

HE

7. Exhausitque omnes in vulnera nostra pharetras;
Obruit & lacerum ferrea sylva latus.

HE

HE

1. *Factus sum in derisum omni populo: canticum eorum tota die.*

HE

2. *Replevit me amaritudinibus:*

3. *Inebriavit me absynthio.*

VAV

4. *Confregit ad numerum dentes meos: cibavit me cinere*

VAV

5. *Et repulsa est à pace anima mea:*

6. *Oblitus sum bonorum.*

HE

1. Nec ſatis, hoc noſtris Superum lex aſpera fatis
   Addidit;ut populo ſint mea fata joco.
Ceſſimus inſani ſæva in ludibria vulgi,
   Queis totum lepido falleret ore diem.

HE

2. Nulla Mei pars morte vacat: pleno altius amne
   In noſtrum fudit toxica amara ſinum.
3. Miſcuit undantes mihi fæda abſinthia in hauſtus,
   Ebrius incerto cogor & ire gradu.

VAV

4. Impaſto tormenta dedit non pabula ventri,
   Et juſſit querulam rodere ſaxa famem.
Obrigui: imbelles abiere in fruſtula dentes;
   Dum cinerem, & panis ſcrupea fruſta terunt.

VAV.

5. Par animo rigor incubuit; nam territa curis.
   Exceſſit toto Pax proculacta ſinu.
6. Obſtupui: ærumnis, alto ceu gurgite merſa
   Mens, ſubitò periit; vix memor ipſa ſui.
Neſcio quæ potà miſeranda oblivia Lethe
   Commenta eſt falſo fabula græca metu;

Hæc

VAV

1. *Et dixi periit finis meus,& spes mea à Dominò.*

ZAIN

2. *Recordare paupertatis,*

3. *Et transgressionis meæ, absynthii, & fellis.*

ZAIN

4. *Memoria memor ero,& tabescet in me anima mea.*

ZAIN

5. *Hæc recolens in corde meo,ideo sperabo.*

HET

6. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.*

HET

Me lætæ immemorem ſortis ſtupor occupat: olim
Quæ Graiis fuerat fabula, pæna mihi eſt.

VAV

1. Hinc tacitus, noſtris, dixi, ſpes nulla ſuperſtes
Eſt votis: perii: me Deus uſque premet.

ZAIN

2. Rex ſuperum, demerſa patent cui ſæcula, noſtram
Te precor, ò, memori pectore volve vicem.
Cerne, ut jura hominum violans æquiſſima, civis
Me meus irato preſſerit antè pede.
Vt tua dum canerem Vates oracula, triſtis
In pretium moniti, triſtia fella dedit:

3. Hæc noſtris, fateor, ſunt pridem debita noxis;
Nam ſceleri pænas irrogat Vrna pares.

ZAIN

4. Hæc recolam, ſolvetque mihi præcordia luctus,
Vitaque, ceu lentà marcida tabe, fluet.

ZAIN

5. At nova ſpes animo, vel & hinc viret, aucta recenti
Germine, quam mæſto lumina fonte rigant.

HET

6. (Hæc tua Dive parens clementia) noſter in auras
Non dum, difflato corpore, pulvis abit.

1. *Quia non defecerunt miserationes ejus.*

HET

2. *Novi diluculo, multa est fides tua.*(a)

HET

3. *Pars mea Dominus dixit anima mea ;*
propterea expectabo eum

THET

4. *Bonus est Dominus sperantibus in eum,*
animæ quærenti illum :

THET

5. *Bonum est præstolari cum silentio*
salutare Domini

THET

6. *Bonum est viro cum portaverit jugum ab*
adolescentia sua .

(a) Novæ sunt quolibet mane misericordiæ tuæ. *Pagnin.*

IOD

1. Vivimus: exundans non dum nos obruit æquor:
Quæ quatit, illa meam ſuſtinet unda ratem.
Vivimus: arenti pietas non defuit alveo;
Nam tibi inexhauſto è pectore prona fluit.

HET

2. Qualis ab æoo pandit ſe Phoſphorus orbe;
Sic tua, Rex hominum, promicat axe fides.
Advehit ille novam, revoluto ſidere, lucem;
Ipſe novam placido Numine pandis opem.

HET

3. Hinc matutinum mea nox ſibi cernere lumen
Eſt viſa, & cælo liberiore frui.
Vſque feram, dixi, mea lux Deus ipſe, ſepultum
Ipſe vehet, fato ſplendidiore, diem.

THET

4. Se facilem Dominus, pronumque in fœdera præſtat;
Si modò ſpes læſos ambiat una pedes.

THET

5. Prima ſalus miſero, optatam ſperare ſalutem,
Ac lentas, preſſo murmure, ferre moras.

THET

6. Vincla juvat tenero geſtaſſe jugalia collo;
Obcallent longo colla ſubacta jugo.

IOD

1. *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſuper ſe :*

Quia portavit ſuper ſe jugum.
Pagnin.

IOD

2. *Ponet in pulvere os ſuum, ſi forte ſit ſpes.*

IOD

3. *Dabit percutienti ſe maxillam: ſaturabitur opprobriis ;*

CAPH

4. *Quia non repellet in ſempiternum Dominus,*

CAPH

5. *Quia ſi abiecit, & miſerebitur,*

Discitur ærumnis patientia: pectora crebris
Sæpius usta malis, ad nova damna stupent.

IOD

1. Quisquis hic est, domitum gestat qui vulnere pectus,
AErumnas tacitus concoquet ille suas;
Ac turbis procul, ipse sibi comes, arbiter idem
Ipse sibi, querulos comprimet ore sonos.
Namque suas reputans, meditato examine, noxas,
Cernuus incurvo vertice cœpit onus.

IOD

2. Nec satis: obscæno supplex in pulvere vultum
Sternet, & affuso polluet ora luto.
Si qua sibi spes deposito sit fortè superstes;
Nam Deus obiectà tangitur illuvie.

IOD

3. Offeret ora etiam ferientibus obvia palmis;
Vt sese jactis expleat opprobriis.

CAPH

4. Scilicet æterno non æstuat igne Tonantis
Ira, nec ejectos devovet usque reos.

CAPH

5. Perculit? excipiet: nostræ spes nixa ruinæ est;
Hæc premit, hæc facilem dat simul una Deum.

1. *Secundum multitudinem misericordiarum suarum*

CAPH

2. *Non enim humiliavit ex corde suo,& abiecit filios hominum:*

LAMED

3. *Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ;*

LAMED

4. *Ut declinaret judicium viri in conspectu vultus Altissimi:*

LAMED

5. *Ut perverteret hominem in judicio suo, Dominus ignoravit.*

MEM

1. Exundat multo in miseros clementia fluctu,
Et clades auctis obruit officiis.

CAPH

2. Quùm tumidas hominum cristas Deus obterit ictu;
Dextra reluctanti fulmina corde rotat.
Dum ferit, ex imà ducit suspiria fibrà,
Quasque ultor pœnas irrogat, ipse dolet.
Non ille ex animo mortales abiicit; ad se
Vt redeant, pænę vel fragor ipse vocat.

LAMED

3. Non isthæc Domini quæsita superbia sceptro est,
Vt terat, ut mactet, pellat ut orbe reos.

LAMED

4. Quùm sedet, augusto regnans in culmine, sedem
Hinc æquà stipat proxima lance Themis;
Hinc Ratio æternæ servata volumina legis
Pandit, & affusà carmina luce notat.

LAMED

5. Omnis ab æthereo vis exulat improba regno:
Exulat & fraudes nectere docta manus.
Cuncta potens tanti majestas Numinis, unum
Hoc nequit; ut miseros opprimat imperio;

MEM

1. *Quis est iste qui dicit, ut fieret Domino non jubente?*

MEM

2. *Ex ore Altissimi non egredientur nec mala, nec bona?*

MEM

3. *Quid murmuravit homo vivens, Vir pro peccatis suis?*

NUN

4. *Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum:*

NUN

Cuncta sciens tantæ solers prudentia Mentis,
Hoc nescit; miseros fallat ut arte reos.

MEM

1. Iste quis est, vano jactans qui murmure voces,
Hæc peragi superum Rege jubente neget?

MEM

2. Ergo ne, quæ miseros vexant mala, quæque beatis
Stant bona, non uno è Numinis ore fluant?
Ergo ne præcipiti Fors omnia voluat ab urnà;
Incertusque hominum tempora casus agat?

MEM

3. Occupat hæc cæcas vecors sententia mentes,
Inquinat hisce aures perfida lingua sonis.
Ast quid vaniloquo garrit male cauta susurro,
Seque suo fallax decipit ingenio?
Impius hæc volvit; cælo ne vindice, plecti
Se putet, & sceleri libera fræna ferat.

NVN

4. Eja age, queis olim decepti erravimus, ultro
Quæramus lacrymà nox comitante vias.
Vnica solicitos tangat nos cura: Tonantem
Querere, & ad Domini sceptra referre gradum.

NVN

NVN

1. *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos:*

NVN

2. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam provocavimus.*

3. *Idcirco tu inexorabilis es.*

SAMECH

4. *Operuisti in furore, & percusisti nos, occidisti, nec pepercisti:*

SAMECH

5. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat Oratio.*

SAMECH

6. *Eradicationem, & abiectionem posuisti me in medio populorum*

NVN

1. Tendamus miſeri, curvato poplite, in aſtra,
Hac ſimul ad Dominum corda, manuſque prece:

NVN

2. Nequitiâ in cælum irruimus: nos egimus ipſi
Iratâ ut raperes arma repoſta manu.
3. Hinc tua vel crebro Clementia concita voto,
Se negat, & nullâ flectitur icta prece.

SAMECH

4. Quin velut effractâ celi compage, rebelles
Horrida pœnarum contudit eluvio.
Attritoſque tuo merſit ſub calce; nec Iris,
Fœderis in ſignum, prodiit ulla polo.

SAMECH

5. Te nigrâ involvis denſæ caligine nubis;
Ne gemebunda tuos vox petat ulla pedes.

SAMECH

6. Ceu quercum Boreas contortam turbine, in agros
Abiicit; ut fæda ſorde putreſcat humi;
Haud ſecùs, in mediâ populorum luce, revulſum
Proiicis, in vaſtas me procul Vrbe plagas.
Exul, inops jacui, ſtratumque in pulvere preſſit
Proculcans cæco barbara turba pede.

PHE

PHE

1. *Aperuerunt super nos os suum omnes inimici*

PHE

2. *Formido, & laqueus facta est nobis vaticinatio, & contritio:*

PHE

3. *Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei.*

AIN

PHE

1. O' utinam, noſtram ne rideat improbus umbram
 Hoſtis, nos imo conderet urna ſolo.
En ut mordaci rodit nos dente, refoſſis,
 Ceu vorat in buſtis oſſa relicta canis.
Gaudet & infectos geſtare ab ſanguine rictus;
 Quos lingua aſſiduam lingat ad illecebram.

PHE

2. Quàm male ceſſiſtis veſtro mea carmina Vati,
 Carmina quæ populis entheus ore tuli:
Vos laqueum miſero, vos carceris antra paraſtis,
 Quin & ſolicitos corde micante metus.
Ac velut impoſitum capitique humeriſque molarem,
 Qui preſſa immodico pondere membra terit.

PHE

3. Debuit exhauſto tabeſcere fonte, perennes
 Dum volvit lacrymas, amne ruente, dolor;
Aſt Te dum, Patria, aſpicio, dum mole malorum
 Attritam, in cineres diſſiliiſſe queror,
Intumuere novis mea lumina fletibus, & ſe
 Vberior gemino proruit imbre dolor.

AIN

AIN

1. *Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eò quòd non esset requies,*

AIN

2. *Donec respiceret, & videret Deus è cælis.*

AIN

3. *Oculus meus deprædatus est animam meam, in cunctis filiabus Urbis meæ*

SADI

4. *Venatione ceperunt me inimici mei*

AIN

1. Emensa est nostram lacrymarum clepsydra vitam,
Attrivitque meos deflua gutta dies.
Flevimus, heu, tacito siluit nec pupula fletu;
Fata quòd abnuerent irrequieta moras.

AIN

2. Flevimus, etthereà donec Deus arbiter arce
Respiceret fœdis ora perusta notis.

AIN

3. Ast mea, dum lacrymor, nunquam altiùs exundarunt
Transgressis latè lumina marginibus;
Quàm cùm vos patrià genitas Matresque, Nurusque
Vidimus ad Solimæ vellere busta comas.
Tunc oculus toto hanc animam de pectore prædo
Abstulit, & raptam lacryma fudit humi.

SADI

4. Me memor ad mea damna iterum dolor advocat; hujus
Vt mæstam capitis prosequar Iliadem.
Ceu juga Venator saltusque indagine cingit,
Gestit & innocuas implicuisse feras:
Haud secùs insidians mihi subdola nexuit hostis
Retia, meque suis induit ipse plagis.

1. Hæc

1. *Gratis*

SADI

2. *Lapsa est in lacum vita mea.*

3. *Et posuerunt lapidem super me.*

SADI

4. *Inundaverunt aquæ super caput meum, dixi: perii.*

COPH

5. *Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo*

COPH

6. *Vocem meam audisti:*

1. *Aver-*

1. Hæc ſceleris purus, nec facto injurius ulli,
Suſtinui: immeritis præda petita dolis.

SADI

2. Dejectus cecidi, cælumque, diemque cadenti
Eripuit, furvo denſior umbra chao.
An lacus, an tumulus, cæco conterminus orco;
An carcer poſitus Manibus ille fuit?
Omnia ſolus erat:: nam carcer, compede: olenti
Illuvie, tumulus: gurgite hiante, lacus.
3. Hüc me Ieſſæi detruſit Principis ira,
Et ſuper impoſito deſtituit lapide.

SADI

4. Vt cecidi, ut multo merſum me pondere limus
Hauſit, & undanti tempora merſit aquà.
Me miſerum, dixi (caput alto evolvere cæno
Dum trepidus nitor) me miſerum, perii.

COPH

5. Te, ſuperum Rector, ſupplex in vota vocavi,
Ex imo tollens ora, manuſque lacu;

COPH

6. Nec me difficili ſpreviſti Conditor aure;
Dum mea nox triſti murmurat iſta ſono:

1. *Ne avertas aurem tuam à singultu meo, & clamoribus.*

COPH

2. *Appropinquasti in die, qua invocavi Te:*

3. *Dixisti: ne timeas.*

RES

4. *Iudicasti Domine causam animæ meæ,*

5. *Redemptor vitæ meæ*

RES

6. *vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me,*

7. *Iudica Iudicium meum.*

RES

8. *Vidisti omnem furorem,*

1. Om-

1. Ne precor, ah, vultum, mea lux, averte ſepulto,
Excutere hanc radiis Tu potis una ſtygem.
Aſpice, ut aſſiduis animam ſingultibus efflem,
Solicitemque tuum vocibus auxilium.

COPH

2. Vix hæc: quùm ſummo mihi Te de culmine ſiſtis,
Spe noſtros relevans candidiore metus.
3. Ne timeas, blando dixiſti murmure, & omni
Exiliere ſimul concita corda fibrà.

RES

4. Iudice te, dubio nutans examine, noſtri
Eſt capitis ſummo cognita cauſa foro:
5. Te quoque, ne victus caderem, defenſa Patrono;
Et mea, Te, rapta eſt, vindice, vita neci.

RES

6. Impia quin etiam Procerum molimina noſti,
Et quibus innocuum me petiere dolis.
7. Ergo age, tot ſcelerum Iudex, ac Teſtis, ad urnam
Siſte reos: cauſam diſcute, Dive, meam.

RES

8. Quidquod & omnigenos ſpectaſti pectoris æſtus,
Explendamque mei ſanguinis amne ſitim.

1. *Universas cogitationes eorum adversum me:*

SIN

2. *Audisti opprobrium eorum, Domine,*

3. *Omnes cogitationes eorum adversum me:*

SIN

4. *Labia insurgentium mihi:*

5. *Et meditationes eorum in me tota die:*

SIN

6. *Sessionem, & resurrectionem eorum vide.*

7. *Ego sum psalmus eorum*

THAV

8. *Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum.*

THAV

1. Conatus,curasque omnes,quibus anxia anhelo
Pectore,in hoc,populi rugiit ira,caput.

SIN

2. Nec latuere tuas,hominum Deus arbiter,aures,
In me,quæ fœdis probra tulere notis:
3. Vt nostrum indecori turparint scommate nomen;
Volverit ut nostram mens truculenta necem.

SIN

4. Congita & ora Tibi,tumidis fumantia labris,
Quæ mihi terrificis intonuere minis.
5. Et meditata in me,fixo feralia nutu
Consilia;haud ullà,nocte,dieque,morà.

SIN

6. Nec scelerum satis est: tumidis en aspice buccis,
Vt sœvi in miserum turpia verba vomant.
7. Seu vacui sedeant;seu vitæ ad munera surgant,
Vnà omnes cynico me simul ore petunt.
Cessimus in carmen,quibus enthea fudimus antè
Carmina:queis fudi oracula,fabula sum.

THAV

8. His,Deus,ad lances æquo mox pondere,reddes,
Quam sibi criminibus promeruere,vicem.

THAV

1. *Dabis eis, scutum cordis, laborem tuum:*

THAV

2. *Persequeris in furore,*

3. *Et conteres eos sub cœlis, Domine.*



THAV

1. Indomitumque illis, ſcuto ceu triplice, cingens
Pectus, iniqua tuo corda labore premes.

THAV

2. Præcipiti poſthac exolvens fræna furori,
Quo mare, quo tellus, ac polus ipſe tremit;
3. Aſſiduo trepidos urgebis turbine, tergo
Ingeminans totà verbera torta manu.
Ac demum, obtritos extremo fulmine, trades
Raptandos rapidis, hoc per inane, notis.



CAPUT QUARTUM.

ALEPH

1. *Quomodo obscuratum est aurum: mutatus est color optimus:*

2. *Dispersi sunt lapides Sanctuarii, in capite omnium platearum.*

BETH

3. *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo;*

4. *Quomodo reputati sunt in vasa testea =*

1. Opus

CAPUT QUARTUM.

ALEPH

ME miſerum! exhauſto marcent mihi lumina fletu,
Æger & attonito torpet in ore ſonus.
Nec totos animi potis eſt evolvere ſenſus.
Nam ſtupet ingenti lingua,oculuſque malo.
1. Lurida quæ Templi facies! Quæ rudera! quantus
Sordet in auguſtà Numinis arce cinis!
Aureus ut periit furvà nitor obrutus umbrà!
Optimus ut cecidit decolor igne color!
Sardus, Onix, Adamas, atque altæ dives Erythræ
Cenſus, quo ſacri promicuere lares,
Ceſſit inexpletæ pretioſa in pabula flammæ.
Proh quantum tumulas nigra favilla decus!
2. Abdita, queis ſteterant,Fani penetralia, paſſim
Fuſa jacent omni diruta ſaxa vià,

BETH

3. Inclyta Progenies Solymùm, quos æmula Soli
Induit obrizo texta nitore cyclas,
4. Vt mox aggeſto ſqualens malè ſordida cæno,
Calcato haud potior viſa repente luto eſt!
Haud

1. *Opus manuum figuli.*

GHIMEL

2. *Sed & Lamia nudaverunt mammas lactaverunt catulos suos:*

3. *Filia populi mei crudelis, quasi Struthio in deserto*

DALETH

4. *Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus, in siti.*

5. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*

HE

6. *Qui vescebantur voluptuosè,*

7. *Interierunt in viis:*

1. Haud secùs ac fœdæ nigrà fuligine testæ,
Quas figuli famio finxerit orbe manus.

GHIMEL

2. Heu pudor, heu lacrymæ: Lamiis concessimus: almā
Vicerunt Solymas Hæ pietate Nurus.
Vbera nudarunt Lamiæ, mammàque tumenti
Lactarunt catulos, pignora cara, suos.
3. Te, Patriæ soboles, sylvà qui devius errat,
Ferreus, immiti Struthio corde refert:
Negligit hic fætus, nec partis incubat ovis,
Quæ paris ipsa sinu, pignora destituis.

DALETH

4. Arida dissecto lactentis lingua palato
Hæsit, nec tantæ guttula fusa siti est.
Exhausto mater lactis jam fonte, roganti
Dat lacrymas oculis, dum negat Vber opem.
5. Ore, manu, lacrymis panem petiere puelli;
His neque, qui panem frangeret, ullus erat.

HE

6. Qui modo regali struxerunt prandia luxu,
Queis aër censum, terra, fretumque dedit.
7. Erravere omnem, ceu squalida spectra, per Vrbem,
Straveruntque suis compita funeribus.

2. Quos

1. *Qui nutriebantur in croceis,*

2. *Amplexati sunt stercora.*

VAV

3. *Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.*

4. *Quæ subversa est in momento, nec ceperunt in eà manus.*

ZAIN

5. *Candidiores Nazaræi ejus nive: nitidiores lacte: rubicundiores ebore antiquo: sapphyro pulchriores.*

HET

1. Quos modo purpureo velabat culcitra textu;
Geſtabatque gravi rheda ſuperba gradu,
2. Irruere amplexu in ſordes, fædaque ſepultos
Vidimus obſcæni ſtercoris illuvie.

VAV

3. Grande ſcelus Sodomæ: ſceleri par pœna; ſed ipſi
Et penâ Sodomam vicimus, & ſcelere.
4. Hæc periit, ſubito ſed funere; ſcilicet igni
Cælitus icta, ſuam vix dolet hauſta vicem:
At Solymæ longo duxerunt ordine funus,
Obſidio, cædes, pugna, rapina, fames.

ZAIN

5. Vos ego, nazareo texit queis tempora cultu
Deflua devoto è vertice cæſaries,
Vos ego dum lacrymans ſpecto, ſuſpiria ab imo
Æſtuat immodicus fundere corde dolor.
Quis nitor ò! nivei quæ vultus gratia! qui flos!
Quæ veſtras pinxit purpura fuſa genas!
Alba pruina gelu, nitidique coagula lactis,
Et vetus, affuſo murice, cedat ebur;
Cedat & æthereo ſapphyrus lumine: veſter
Vicerat hæc, pretio nobiliore, decor.

HET

HET

1. *Denigrata est super carbones facies eorum,*

2. *Et non sunt cogniti in plateis.*

3. *Adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum*

TETH

4. *Meliùs fuit accisis gladio;*

5. *Quàm interemptis fame;*

6. *Quoniam ipsi extabuerunt, consumpti à sterilitate terræ*

IOD

7. *Manus Mulierum misericordium*

1. Co-

HET

1. Aſt tantam potuit quæ mox iniuria formam
   Ledere? quæ tantum perdidit umbra decus?
Defluxit facie facies, ambuſtaque nigras
   Carbonum vicit nigrior illa notas.
2. Ignoto erraſtis Patriæ per compita vultu,
   Ceu larvæ, infauſtum quæ procul omen habent.
3. Oſſibus, emuncto jam corpore, pellis adhæſit
   Arida, & arboreos viſa referre libros.

TETH

4. Felices, quibus alta dedit per vulnera mucro
   Liberiore animas fundere ad aſtra via.
5. Durius his fatum, queis viva cadavera lento
   Exèdit morſu deſidioſa fames.
6. Scilicet his, tabes quos pigra inſederat, ipsà
   Vel morte aſperior, trux mora mortis erat.

IOD

7. Pugnarunt miſeram materno in pectore pugnam
   Mitior hinc Pietas, hinc malè ſuada Fames.
Parce tuo, ingeminat Pietas, ah parce puello:
   Parce tibi, ingeminat fervida, parce, Fames.
Dira Fames ſuperas, genitrix averſa pudendum
   Quod peragit dextrà, devovet ore nefas,

1. Nec

1. Coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum ,

2. In contritione filiæ populi mei .

CAPH

3. Complevit Dominus furorem suum :

4. Effudit iram indignationis suæ :

5. Et succendit ignem in Sion, & devoravit fundamenta ejus.

LAMED

6. Non crediderunt Reges terræ , & universi habitatores orbis ; quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalem .

MEM

7. Propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates Sacerdotum ejus,

8. Qui effuderunt in medio ejus sanguinem Iustorum

NVN

1. Nec tamen abſiſtit; ſecti nam torrida Nati
   Membra vorat; pœnis veſcitur, orba, ſuis.
2. Te tanto infecit, mulier Solimęia, probro;
   Frugibus undantes dum cremat hoſtis agros

CAPH

3. Complevit, fudit, ſuccendit, & igne voravit;
   In noſtrum Dominus quùm ruit excidium:
4. Complevit ſuprema ſuum per damna furorem,
   Fudit & effrænes, quas tulit ira, faces.
5. Succendit Templumq; Vrbęmq; atque igne voravit,
   Fulcra, quibus celsà ſubſtitit arce Sion.
   Omnia præcipiti ſimul impulit obruta caſu;
   Ipsà jam Solymen quærimus in Solyma.

LAMED

6. Non Reges, ullus non incola credidit orbis,
   In patrias hoſtem irrumpere poſſe fores.
   Hoſtis at irrupit; non illum mœnia, portæ
   Non illum validà detinuere ſerà

MEM

7. Creditis? è Templo hæç fata erupere; prophanos
   Arguit hæc Myſtas, jure, ruina reos.
8. Clamat adhuc in nos juſti vox ſanguinis, ipſi
   Quem fudere ſuo, turba ſceleſta, dolo.

NVN

1. *Erraverunt cæci in plateis :*

2. *Polluti sunt in sanguine:*

3. *Cumque non possent, tenuerunt lacinias suas.*

SAMECH

4. *Recedite polluti, clamaverunt eis, recedite, abite, nolite tangere .*

5. *Iurgati quippe sunt ;*

1 .Et

Illicet, ipſorum nutu, ſe cæde Manaſſes
Polluit, & Vatum viſcera fudit humi.
Id fuit è ſuperis quod fulmina detulit aſtris:
Vindicat hoc læſi Numinis ira nefas.

NVN

1. Sanguis ubique, & ubique putri manantia tabo,
Infecere omnes funera denſa vias.
Hæc inter cœco glomerantes impete greſſus
(Dum trepido quiſquis poplite carpit iter)
2. Fædavere pedes undanti in ſanguine; tetrà
Nec ſanie adductas abſtinuere togas.
3. Mox quùm ſuffusà fœdæ caliginis umbrà,
Haud regerent greſſus mens oculique ſuos;
Obvia prenſarunt aliorum ſyrmata dextrà;
Flecteret ut certos fimbria prenſa gradus.

SAMECH

4. Aſt aliis alii: procul hinc abſiſtite, clamant.
Pollutos alio flectite calle pedes.
Abnuit hic, aſt ille iterat; ſecede; cruentà
Ne fædus temera ſyrmata munda manu.
5. Hinc furor, hinc multà turgentia jurgia rixà
Iactaque in alterius verba pudenda caput.

1. *Et commoti dixerunt inter gentes: non addet ultra, ut habitet in eis.*

PHE

2. *Facies Domini divisit eos,*

3. *Et non addet, ut respiciat eos.*

4. *Facies Sacerdotum non erubuerunt;*

5. *Neque Senum miserti sunt.*

AIN

6. *Cùm adhuc subsisteremus,*

7. *Defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum.*

1. Cum

1. Hos Patrià extorres ubi gens procul extera vidit
Circumferre ſui funeris exequias?
Mota animis: non ulla, inquit, poſt ſæcula Vindex
Deſertà Iſacidum figet in urbe larem.

PHE

2. Expulit hos facies læſi indignata Tonantis,
Sepoſitiſque jubet ſe procul eſſe plagis.
3. Nec ſemel abiectis ſua poſthac lumina vertet,
Quò ſcelerum pæna compare proba luant.
4. Non illos Patrum facies auguſta procaces
Terruit, aut ſęvas infula ſacra manus;
5. Nec miſeranda ſenum flexit ſine viribus ętas,
Ac prono ſupplex vertice canities;
Hinc Deus effrontes averſo devovet ore,
Et pęna admiſſi criminis inſtar habet.

AIN

6. Integra quùm firmo tegerent nos męnia vallo,
Et traherent dubias ultima fata moras.
7. Spem ſimul, atque oculos vanis obvertimus umbris,
Quæ nos fallaci detinuere fide.
Aſt oculis acies, defixo languida viſu
Obſtupuit, vanam dum remorantur opem.

1. *Cum respiceremus ad gentem, quæ salvare non poterat.*

SADE

2. *Lubricaverunt vestigia nostra in itineribus platearum nostrarum:*

3. *Appropinquavit finis noster:*

4. *Completi sunt dies nostri;*

5. *Quia venit finis noster.*

COPH

6. *Velociores fuerunt persequutores nostri Aquilis cæli:*

7. *Super montes persequuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis*

RES

8. *Spiritus oris nostri Christus Dominus,*

1. Cap-

1. Nam pharios avido respeximus ore Tyrannos,
Qui validà haud poterant sistere bella manu.

SADE

2. Fluxere instabili nobis vestigia gressu;
Dum terimus nostras hoste premente vias.
3. Criminibus posita extremo nos conterit ictu
Sępius incautà, Meta, petita rotà.
4. Occidimus: toto nobis Sol excidit astro:
Supremo clausa est vespere nostra dies.
5. Vltima depositis jam desuper incubat hora:
Isacides fuimus, sanguis & umbra sumus.

COPH

6. Non sic fulmineas Iovis armiger explicat alas,
Ex alto in prędam quùm procul axe ruit;
Vt præceps in nos se detulit impete prædo:
Ocyùs in nostras irruit ille fugas.
Nullus ubique satis caput astris occuluit mons,
Nec satis ulla suos avia lustra lares
7. Per juga, per sylvas, per iniqua, per ardua pressit
Ac profugos; tacitis sæpiit insidiis

RES

8. Noster Amor, nostri, dum viximus, halitus oris,
Qui tulit in famulos sceptra paterna suos;

1. *Captus est in peccatis nostris:*

2. *Cui diximus: in umbra tua vivemus in gentibus.*

SIN

3. *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus:*

4. *Ad te perveniet calix,*

5. *Inebriaberis, atque nudaberis;*

THAV

6. *Completa est Iniquitas tua, filia Sion;*

1. Noster amor duro tolerat sub milite Christus
Vincula, quæ nostrum nexuit ante nefas.
2. Illi, spe quondam tumidi jam diximus: (alto
Dum ferret Solymis jura verenda throno)
Sepositas inter, vel mundi in margine, Gentes;
Nos metuenda tui nominis umbra teget.

SIN

3. Eja age tange Edom tua gaudens tympana, læto
Sit tibi, dum resonat, nænia nostra joco.
Ah miseram? non usque levi vaga sidera nictu;
Dissimulent noxas semisopita tuas.
4. Te quoque, qui nostris nunc faucibus ingruit undans;
Fædus inexhausto proluet imbre calix;
Suppliciisque gravis, nudataque syrmatis ostro,
Deciduum quaties, crure labante, latus
5. Sic de te geminus capiet ludibria prædo,
Et pasces oculos ebria, nuda suos.

THAV


Te tamen è Patrio, Solyme, rediviva sepulchro
Spes levet, ac tantis erigat una malis.
6. Iam satis exhaustum est pœnæ; jam Vindicis iræ
Fusa tui nuper sanguinis unda litat.

1. Non

1. *Non addet ultrà, ut transmigret te;*

2. *Visitavit iniquitatem tuam, filia Edom;*

3. *Discoperuit peccata tua.*



CA-

1. Non iterum assyrio subdent te vincula sceptro,
   Neve tuo pellet te ferus hostis agro.
2. Non impunè tuum tibi crimen abibit, Idume,
   Nec strumas dibapho murice sola teges.
3. Iam rigidà assurgens virgà tibi cognitor instat
   Qui tua multiplici censeat acta notà.
Ille omniridenda dabit spectacula Genti;
   Vltrici reteget cum tua probra manu.



CAPUT QUINTUM.

ORATIO IEREMIÆ

1. *Recordare, Domine, quid acciderit nobis:*

2. *Intuere, & respice opprobrium nostrum:*

3. *Hæreditas nostra versa est ad alienos, Domus nostræ ad extraneos:*

4. *Pupilli facti sumus absque Patre:*

5. *Matres nostræ quasi viduæ:*

6. *Aquam nostram pecunià bibimus:*

1. *Li-*

CAPUT QUINTUM.

ORATIO IEREMIÆ

ARbiter, æterno flectis qui sidera nutu,
Infensum Solymis pone supercilium.

1. Ah! ne te nostræ teneant oblivia cladis,
Neve oculos fugiat tanta ruina tuos.
2. Volve memor Solymæ casus, ah respice, quantum
Hæc dejecta solo dedecus ora tegat.

3. Nostra peregrinus patrimonia possidet hæres,
Majorumque domos exterus hospes habet,
Hospes habet, palmâque ferox, prædaque superbus
Exornat spoliis atria nostra suis.

4. Abducto gemimus Soboles orbata parente:
Relliquias Solymûm vix polus ipse tegit.
5. Desertæ squalent viduæ prope pignora Matres,
Et lacrymis certant nocte dieque suis.

Barbarus ipsa etiam naturæ munera prædo
Abstulit, ac brutis jura relicta feris.
6. Emimus, heu, nostris haustas è fontibus undas:
Fusa stetit pretio lacryma & ipsa suo.

1. Emi-

1. *Ligna nostra pretio comportavimus.*

2. *Cervicibus nostris minabamur:*

3. *Lassis non dabatur requies:*

4. *AEgypto dedimus manus, & Assyriis,*

5. *Ut saturaremur pane.*

6. *Patres nostri peccaverunt, & non sunt:*

7. *Et nos iniquitates eorum portavimus.*

8. *Servi dominati sunt nostri:*

9. *Non fuit qui redimeret de manu eorum:*

10. *In animabus nostris afferebamus panem nobis,*

1. *A fa-*

1. Emimus excisas nostris è saltibus alnos,
Quæque struant miseris, cædua ligna, rogos.

2. Instabat capiti tortor, virgàque minaci,
Compulit assiduo flectere colla jugo.
3. Nulla quies fessis; urgebat pondera pondus,
Curvabatque novus pectora anhela labor.

4. Assyriis, Phariisque manus addiximus; omni
Ingenua incubuit dextra ministerio.
5. Vnaque servili merces quæsita labori est;
Vt sinerent omnem vincere pane famem.

6. Deliquere Atavi, nulloque superstite, tota
Postgenitos scelerum posthuma pæna premit.
7. Et Nati tulimus tanto sub fasce recurvi,
Lurida quod Patrum dextera struxit onus.

8. Quos modo neglectà devinctos compede servos
Pressimus, in nostrum sceptra tulere caput.
9. Nec fuit immites quæ frangeret ulla Tyrannos
Dextra, nec impositum solveret ulla jugum.

10. Extulit è cæca nos sylvæ ambage latentes,
Quæ sylvis effert abdita bruta fames,

In-

1. *A facie gladii in deserto.*

2. *Pellis nostra quasi Clibanus exusta est,*

3. *A facie tempestatum famis.*

4. *Mulieres in Sion humiliaverunt & Virgines in civitatibus Iuda*

5. *Principes manu suspensi sunt:*

6. *Facies senum non erubuerunt:*

7. *Adolescentibus impudicè abusi sunt;*

8. *Et pueri in ligno corruerunt,*

9. *Senes defecerunt de portis;*

1. *Iu-*

1. Intulimusque cibos trepidi, dum cominùs ensis
   Afflaret radio lumina nostra suo.

2. Gessimus arenti combustam turbine pellem;
   Clibanus ut furvà sordet ab igne notà;
3. Namque intextinas exèdit sæva medullas
   Exurens lento non minor igne fames.

4. Nullus honor thalamis: Iessæa è stirpe puellas,
   Ac trepidas lixæ prostituere Nurus.

5. Nullus honor sceptris; genus alto è sanguine Regum,
   Suspensos manibus crux tulit alta Duces.

6. Nullus honor senio: vultus ætate verendos
   Barbara non timuit contemerare manus.

7. Nullus honor sacris naturæ legibus; usus,
   Proh pudor! obscænos jussa juventa pati est.

8. Vos etiam duro, pueri, sub stipitis ictu,
   Exanimes pressà procubuistis humo.

9. Defecere senes, premit alto pulvere portas
   Iustitium, cæso & judice jura silent.

1. *Iuvenes de choro psallentium.*

2. *Defecit gaudium cordis nostri :*

3. *Versus est in luctum chorus noster:*

4. *Cecidit corona capitis nostri .*

5. *Væ nobis, quia peccavimus .*

6. *Propterea mæstum factum est cor nostrum; ideo contenebrati sunt oculi nostri .*

7. *Propter montem Sion, quia disperiit,*

8. *Vulpes ambulaverunt in eo.*

1. *Tu*

1. Interiit Iuvenum pubes lectissima; festos
   Nec mæstà psallens nectit in urbe choros.

2. Occidit heu nostri lux pectoris: abstulit omnem
   Isacidis sævi turbinis ira diem.

3. Letitiæ comites choreæque, jocique, lyræque,
   Queis fremuere hilari pulsa theatra sono,
   In luctus abiere, ac fæmineos ululatus
   Quos fundit, passis præfica multa comis.

4. Crinibus effluxit, marcenti languida flore,
   Quæ nostrum cinxit festa corona caput.

5. Væ miseris. Scelerum nos labe infecimus; hoc est
   Quod nostrum toto perdidit orbe decus:

6. Hoc est, quòd cordi mestissimus incubat horror,
   Oderuntque omnem lumina nostra diem.

7. Qui caput, assurgens, jam cominùs intulit astris,
   Ah periit, stratà dirutus arce, Sion:

8. Intrepidæque omni posuere cubilia vulpes,
   Quà steterant celso laxa theatra jugo.

1. *Tu autem, Domine, in ęternum permanebis:*

2. *Solium tuum in generationem & generationem.*

3. *Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum?*

4. *Converte nos, Domine, ad te,*

5. *Et convertemur:*

6. *Innova dies nostros, sicut à principio*

1. *Sed*

1. Tu tamen ipſe tibi ſubnixus, & altior œvo
Immotâ æterni Numinis arce ſedes;

Ac te nec Mors, nec Fatum, nec ſæcula, firmo
Concutient unquam, poplite flexa, throno.
2. Incumbent Patribus nati, ceu fluctibus inſtant
Deciduis fluctus; unus at ipſe tibi es.

3. Cur tua nos mergant æternâ oblivia lethe?
Longa per & miſeros ſæcula deſtituas?
Ergone, quos oculis pridem Pater alme tuliſti,
Deſpecti ex animo funditùs excidimus?

4. O' age, Dive, tuo, quos plurima noxa rebelles,
Quoſque diù avertit ſerva catena ſinu,
Exilio tandem reduces, noxiſque ſolutos,
Ad te propitiâ verte benignus ope.
5. Namque, ubi nos facili clemens afflaveris aurâ,
Vertemus trepidas ad tua genua manus.

6. Antiquos revoca, quos olim exegimus, annos,
Et noſtros fauſto ſidere conde dies;
Namque tuo pendent è nutu ſidera, vertunt
Tempora juſſa ſuas, te moderante, vices

1. *Sed proiiciens repulisti nos,*

2. *Iratus es contra nos vehementer.*

Threnorum Ieremiæ finis.



DA-

1. Aſt mihi quid votis nequicquam pectus anhelat?
Quid moror in vanas perdere verba preces?
En procul abiectos ſurdà nos aure repellis
Averſiſque horres crimina noſtra genis.

2. Heu nimio in miſeros irarum incenderis æſtu!
Nec potis eſt ſupplex Te cohibere manus.
Hinc cineri vultum advolvo, ſtratuſque, ſilenſque;
Dum lacrymor, tacito Te roget ore dolor.

Threnorum Ieremiæ finis.



DAVID
POENITENS.
Sivè
SEPTEM PSALMI
POENITENTIALES,
Paraphrasi Poëticà expositi.


PSALMUS PRIMUS.

1. *Domine ne in furore tuo arguas me,*
neque in ira tua corripias me.

2. *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum:*

3. *Sana me, Domine, quoniam conturbata*
sunt ossa mea,

1. *Et*



PSALMUS PRIMUS.

ÆGer, inops, triſtis, ſcelerum ſub gurgite merſum,
Audeo vix, ſupplex, tollere ad aſtra caput.

1. Ne, precor, ah, trepidum dum concutis arduus axem,
Ac tuus ignivomo fulgurat ore furor,
Ne, Deus, admiſſi me criminis argue, ſiccam
Ne ſtipulam tanto corripe, Dive, rogo.

2. Pone oculis fulmen, facilis miſerere precanti;
Infirmo languent, nam mihi membra luto.

3. Tu mihi tu Pæon, luxatos inſtrue nervos;
Da firma indubio figere crura gradu.
Nam mea; ſi coner latus ægro attollere niſu,
Cuncta labant, tremulis oſſa refixa fibris.

1. Quin

1. *Et anima mea turbata est valdè;*

2. *Sed tu Domine usque quò ?*

3. *Convertere Domine, & eripe animam meam:*

4. *Salvum me fac propter misericordiam tuam;*

5. *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui:*

6. *In inferno autem quis confitebitur tibi ?*

7. *Laboravi in gemitu meo;*

8. *Lavabo per singulas noctes lectum meum;*

1. *La-*

1. Quin animus nimio curarum fluctuat æstu;
Ceu ratis, irato quam quatit unda salo.
Hinc dolor, inde timor, scelerum & mēs conscia, fluctu
Ceu simul adverso, naufraga corda rotant.
2. Nec te tangit adhuc exundans lacryma vultu,
Quò, Deus, usque manu vindice claudis opem?

3. Verte oculos, cæci caput hoc è faucibus orci
Eripe, labentem ni revocas, perii.
4. Te tuus, ò, mihi flectat Amor, quem supplice voto
Mens ambit, merito mens malè fulta suo.

5. Quod nostræ pretium, quæ laus quæsita ruinæ,
Hoc si lethæo merseris amne caput?
Sæva ubi funereas Libitina affuderit umbras,
Nemo est qui memori te colat officio.
6. An tacita marcens surdi sub nocte sepulchri
Concelebret nomen pulvis, & umbra tuum?

7. Vt mea te flectant suspiria, singultusque,
Concutit assiduus pectora, & ora labor.
8. Quem venus obscæno fœdavit crimine, fusis
Detergam lacrymis imbre ruente torum,

Nulla

1. *Lacrymis meis stratum meum rigabo.* (a)

2. *Turbatus est à furore oculus meus :*

3. *Inveteravi inter omnes inimicos meos*

4. *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem :*

5. *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei :*

6. *Exaudivit Dominus deprecationem meam Dominus orationem meam suscepit.*

7. *Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei :*

8. *Convertantur, & erubescant valde velociter.*

PSAL-

(a) Natare faciam. *Ex Hebr.*

Nulla oculos fletu viduos nox conſcia claudet:
Nox crimen, gemitus nox ſciet ipſa meos.
1. Demergent lacrymæ mihi ſtrata natantia; tantum
Vt fletu mergant exuperante nefas.

2. Exarſi: pudor: ira faces ſub pectore jactant,
Et mea fumanti lumina nube tegunt.
3. Exarſi, gravis ipſe mihi; nam crimina lentus
Dum traho, multiplici dum ſimul hoſte premor,
Hos inter primi mihi flos emarcuit ævi,
Obruit & canis fæda ſenecta comas.

4. Aſt procul hinc ſcelerum artifices abſcedite, noſtrum
Ne poſthac cingat noxia turba latus;
5. Scilicet acclines Domini vox impulit aures,
Quam riguo fudit pupula noſtra ſono.

6. Annuit è ſuperis Deus arcibus, & mea prono
Excepit miſerans vota, preceſque ſinu.
7. Audiat hæc omnis, qui me ſimul obſidet, hoſtis,
Seque ſuis pudeat me petiiſſe dolis:
Audiat, & nimio curarum turbidus æſtu,
Solicito properet vertere terga gradu:
8. Nec mora: dejecto glomeret veſtigia vultu,
Plurima quem fædo noxa rubore premat.

PSAL-

PSALMUS SECUNDUS.

1. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*

2. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum;*

3. *Nec est in Spiritu ejus dolus.*

4. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.*

5. *Dum clamarem tota die.*

6. *Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina.*

1. *De-*

PSALMUS SECUNDUS.

1. FElices Animæ,posito quas fulmine, Vindex,
Quas Superùm placido respicit ore Parens:
Omnia queis facili laxata piacula nutu,
Tectaque sunt albà facta pudenda notà.

2. Felix sorte suà, nullum cui conscia crimen
Imputat æterno Numinis urna foro,
3. Vlla nec exosæ signat vestigia culpæ;
Quòd fictos animo non tegat ille dolos.

4. Hei mihi: dum tenui malè cauta silentià linguà;
Dum tacito fovi vulnera cæca sinu,
Occulto serpens morbi vis sæva veneno
Cæpit in arcanas altiùs ire fibras;
Auctaque robusto dudùm luctamine pestis,
Attrivit longà funditus ossa morà.
5. Hinc gemitus, ac ducta imo suspiria corde,
Quæque meos mensa est,lacryma fusa,dies.

6. At, Deus, ista tuæ tribuenda est gloria dextræ;
Quòd tantà exuerim membra,animumque lue;
Illa mihi assiduà fixit præcordia spinà:
Seu raperet, mæstum seu daret Æthra diem;

1. *Delictum meum cognitum Tibi feci,*

2. *Et in justitiam meam non abscondi.*

3. *Dixi: confitebor injustitiam meam Domino,*

4. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.*

5. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus,*

6. *In tempore opportuno*

1. *Ve-*

Illa reum docuit, pœnâ stimulante, procacem,
Præcipites turpi è calle referre gradus.

1. Tunc, mente afflatus meliore, silentia solvi;
Et patulo evolvi pectoris ima sinu.
2. Nam Te teste simul, te Iudice, pronus ad urnam,
Exposui admissum, Te prohibente, nefas.

3. Adrepam, dixi, metuendi ad genua Tonantis:
Haud deerit Patris in corde paternus amor.
Cernuus obstrictum multo me crimine prodam:
Est Deus ipse reis ultor, & ipse Parens.
4. Vix hæc, Quùm subitò placidum, quo cuncta serenas,
Ad nostra obvertens verba supercilium,
Abiecto indulges, relevataque fasce malorum,
Sceptrigerà cingis colla recurva manu.

5. Hinc tua quisque ambit supplex vestigia; fœdo
Dum scelerum gestit solvere colla jugo.
6. Quisquis hic est, seri prævertat temporis annos;
Vt vetitum mæsto diluat imbre scelus.
Opportuna magis, quæ nunc præterfluit, hora est,
Molli nunc aditu Vindicis aula patet.

1. Veruntamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

2. Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me.

3. Exultatio mea erue me à circundantibus me.

4. Intellectum Tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris.

5. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus:

1. In

1. Sic ubi; diffractà cæli compage, rebelles
Deflua pænarum merserit eluvio;
Nulla illum tumidi quatiet tunc æquoris unda;
Sedula nam portum Numinis ulna dabit.

2. Tu, Deus, una meæ statio fidissima cymbæ,
Quùm tumidi circum me quatit ira maris.
3. Te precor, ò, mea spes, mea pectoris unica dudùm
Lætitia, hostilem disiice, perde manum,
Meque obfirmatà præcinctum indagine, præsens
Erue, inoffensà tela per ipsa fugà.

Hæc Ego. quùm tacito contrà mihi murmure: macte ò,
Numen ait, fusas legimus aure preces.
4. Ipse tibi mentem superis è sedibus indam,
Qua dubias poteris tutus inire vias;
Ipse oculis, nullo claudat quos palpebra nictu,
Insomnes peragam pervigil excubias;
Vt tua, dum graderis, flectam vestigia ductor,
Doctus inaccesso flectere calle pedes.

Audior? an surdas nequidquam vellimus aures;
Quùm mihi divino barbitos icta sono est?
5. Ah pudeat, bruto pecorum se fingere ritu,
Nulla quibus docilis fax micat ingenii.

1. *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad Te.*

2. *Multa flagella peccatoris;*

3. *Sperantem autem in Domino misericordia circundabit.*

4. *Lætamini in Domino, & exultate Iusti,*

5. *Et gloriamini omnes recti corde.*

PSAL.

Effrænes, rudis instar equi, ne ducite gressus;
Dum ruit incultà vasta per arva jubà
Vos aget in præceps, genio eluctante, voluptas;
Ni revocet rapidos Iuris habena pedes.

1. Ergo, age, Dive, tuis quos cæca licentia septis
Effert, & patrio cogit abire jugo:
Hos superiniecto refugos substringe lupato,
Rectosque ad numerum flectere coge gradus.
Sese homines norint, motusque animosque rebelles
Solicitæ frangant mentis ad imperium.

2. Ah ne sacrilego plaudat sibi perfidus ore:
Infandum tundet plurima plaga caput.
3. Quem facili subnixa Deo spes erigit, illum
Ceu firmo, miserans, aggere cinget Amor.

4. Ergo alacres, tutà Domini sub Præsidis umbrà,
Solennes, Iusti, congeminate choros.
Edite festivos, bona pubes, edite plausus:
Exiliant hilari gaudia vestra pede:
5. Vosque ò, queis Æqui sub pectore promicat ardor,
Promerità vestrum cingite laude decus.

PSALMUS TERTIUS.

1. *Domine, ne in furore tuo arguas me;*

2. *Neque in ira tua corripias me*

3. *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi,*

4. *Et confirmaſti ſuper me manum tuam.*

5. *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ:*

6. *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.*

7. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum,*

8. *Et ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.*

PSALMUS TERTIUS.

1. REx Hominum; magnique potens Regnator Olympi,
Quem polus iratum, pallida & astra timent.
2. Ne precor, ah, justà ferves dum concitus ira,
In me fulmineà corripe tela manu.
Pone minas, rapidos Clementia sopiat ignes,
Ac mitis, posità sit mihi lance, Themis.

3. En ut jacta tuo læthalia spicula nervo,
Fixa meum torquent, ebria tabe, latus.
4. Obruor, heu, duro pænarum fasce, fatigat,
Et tua me nimio robore dextra premit.

Ah! satis ipse tui me vulnerat impetus oris:
Intorti, terror, fulminis instar habet.
5. Obrigui: exhaustis languent mihi viribus artus,
Dum procul horrisono turbidus axe tonas;
6. Irrequieta gravi quatiunt sese ossa tumultu;
Dum mea me scelerum plurima larva ferit.

7. Scilicet aggestæ noxis alto aggere noxæ
Assurgunt, nostras exuperantque comas;
8. Ac velut injectis mersum me fluctibus urgent:
Ceu Phariostoto pressit Erythra mari.

1. De-

1. *Putruerunt, & corruptę sunt cicatrices meę, à facie insipientiæ meæ:*

2. *Miser factus sum,*

3. *Et curvatus sum usque in finem,*

4. *Tota die contristatus ingrediebar;*

5. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus;*

6. *Et non est sanitas in carne mea:*

7. *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis:*

8. *Rugiebam à gemitu cordis mei.*

1. *Do-*

1. Desipui, fateor, quod frontem obduxerat, ulcus,
   Neglecto rursum, extabuit officio.
Atque omnes latè populans depascitur artus,
   Meque novà marcens inquinat illuvie.

2. Me miserum, quanto ærumnæ me gurgite Vindex
   Mersit! ut ipse mei degener umbra feror!
3. Ipse mihi pondus curvato incedere dorso
   Cogor, & offenso vertere terga polo.
4. Tristis, & exosæ ceu raptans tœdia vitæ,
   Sive ineunte die, sive cadente, queror.

5. Scilicet usque meis insidens subdola lumbis
   Pellaci Syren perfricat ungue latus,
Illudensque suo perfundit membra veneno;
   Vt blando alliciat perlita corda malo.
6. Ægra nec obsistit dejecto in corpore virtus,
   Raptaque mens imum vergit in exitium.

7. Hinc misero assiduus dolor incubat, & premit altè;
   Atque animum, abiecto vertice, sternit humi.
8. Hinc rugiens duxi gemebundo è corde querelas,
   Fixus ut immani cuspide membra leo.

1. Hæc

1. *Domine ante te omne desiderium meum ;*

2. *Et gemitus meus à te non est absconditus :*

3. *Cor meum conturbatum est :*

4. *Dereliquit me Virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est meum.*

5. *Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt ;*

6. *Et qui juxtâ me erant, de longe steterunt ;*

7. *Et vim faciebant qui quærebant animam meam.*

8. *Et qui inquirebant mala mihi =*

1. Hæc quorſum evadant ſuſpiria, ſingultuſque,
Arbiter arcani pectoris, ipſe vides;
2. Nam tibi cuncta patent vota imo condita corde;
Fibra nec, ignaro Te, micat ulla ſinu.

3. Aſpicis, ut rapidus multo mihi vortice turbo
Cor agat, imbellem ceu levis unda ratem:
4. Vt fragiles lento torpent mihi ſanguine nervi,
Ac mea lux pridem lumina deſtituit.

5. Iam, velut in pænæ cumulum mihi non ſatis unus
Ipſe forem, in caput hoc plurima turba ruit.
Quos mihi vel ſanctum cognato ſanguine fædus;
Vel longæ vinxit nexus amicitiæ,
Convenere omnes, inſtructoque agmine circum;
In me juratà ſigna tulere manu.

6. Quæque ſatellitio latus ambiit arcta clientum
Turma, omnes falsà terga dedere fide;
7. Hinc ruere adverſo violentiùs impete viſi,
Qui noſtræ inſtabant, enſe minante, neci;

8. Et qui quæſitis certabant undique damnis,
Obruere, aggeſtà ceu mihi mole, caput,

1. Tra-

1. *Loquuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.*

2. *Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum:*

3. *Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.*

4. *Quoniam in te, Domine, speravi,*

5. *Tu exaudies me, Domine Deus meus;*

6. *Quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei*

7. *Et dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt;*

8. *Quoniam ego in flagella paratus sum*

9. *Et dolor meus in conspectu meo semper.*

1. *Quo-*

1. Traduxere meum, mentito crimine,nomen;
Moliti cœcos nocte dieque dolos.

2. Aſt ego ceu ſurdà torperem languidus aure;
Nec potis obſtricto reddere verba labro;
3. Turpia dejecto excipiens convicia collo,
Abſtinui jactis probra referre probris.

4. In te præſidium mea Spes ſibi contulit uno:
Tu clypeus telis, Tu mihi robur eris;
5. Nàm pronà excipies ſuperis è ſedibus aure,
Quas tibi demiſſo fudimus ore preces:

6. Ne precor ah, ſupplex dixi (ſuſpiria voces
Admovere alto congeminata polo)
Ne ferus hoſtis agat, mea ridens damna,triumphos:
Inſtruat & noſtris læta trophæa malis.

7. Ille ubi me dubio nutantem poplíte vidit,
Grandiloquis auxit noſtra pericla minis.

8. Aſt Ego declini mihi flagra minantia dorſo
Opperior, noxis debita flagra meis;
9. Nam matutino ſeu phoſphorus excubet igne;
Seu vocet aſtra ſuas Veſper ad excubias

Mul-

1. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo,*

2. *Et cogitabo pro peccato meo.*

3. *Inimici autem mei vivunt, & confortati sunt super me,*

4. *Et multiplicati sunt qui oderunt me iniquè:*

5. *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi,*

6. *Quoniam sequebar bonitatem.*

7. *Ne derelinquas me, Domine* =

1. *In-*

Advigilat defixa ſuo mens ægra dolori,
Arcanoque putres refricat ungue fibras.

1.Noſco equidem,nec corde premam,noſcendaq;cunctis
Aperiam triſti crimina noſtra ſono.
2.Aſſiduoque meas retractans pectore noxas,
Me juſtà prodam lance ſubire vicem.
Sic geminum linguà pandens,animoque tribunal,
Criminis ipſe reus,teſtis & ipſe mihi,
Ipſe mihi Iudex,mihi Præco, Tortor & ipſe,
Infandum hoc plectam nocte,dieque caput,

3.Interea faſtu,mihi gens inimica,ſuperbo
Turget,& atra novo robore tela rotat,
4.Quid quod conferto crevere examine,iniquis
Qui mihi mixta odiis,ſæva venena coquunt,

5.Iam paribus ſueti benefacta rependere damnis,
Carpebant noſtri nominis ore decus;
6.Namque Boni,Rectique tenax,placiduſque, vel hoſtes
Officiis ſtudui demeruiſſe meis.

7.Te rurſum mea Vota,Deus,lacrymæque laceſſunt;
Te vitæ Dominum,præſidiumque meæ;

1.*Deus meus ne discesseris à me:*

2.*Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.*

PSALMUS QUARTUS.

3.*Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam,*

4.*Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam:*

5.*Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me;*

6.*Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.*

7.*Tibi soli peccavi,*

1. Ne tantis ſeptum, denſà obſidione, periclis
Deſpice, ne trepidum deſere Dive latus.

2. Aſſurge ò, præſenſque manum, qua conſtitit Orbis,
Exere, Te mea ſit Vindice tuta ſalus.

PSALMUS QUARTUS.

3. MAgne Parens, cui magna ſinu Clementia latè
Æſtuat, & fluctus non capit ipſa ſuos.
Hoc hoc me pelago, miſerans, demerge: pudendum
Hæc tegat, ò, tanti gurgitis unda caput:

4. Obruat, ac ſordes tergat, fœdamque refuſo
Nequitiem toto diluat una mari.

5. Altiùs, atque iterum tergat, quò funditus omni
Deletà, niteant pectora munda, notà.

6. Scilicet ipſe meum noſco ſcelus: excubat uſque
Horrida ante oculos criminis umbra meos.

7. Proh facinus! ſtultæ proh quanta audacia mentis!
In Te perfrictà cornua fronte tuli.

1. *Et malum coram te feci;*

2. *Ut justificeris in sermonibus tuis,*

3. *Et vincas cum judicaris.*

4. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,*

5. *Et in peccatis concepit me mater mea:*

6. *Ecce enim veritatem dilexisti:*

7. *Incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

1. As-

1. Nec vecors timui tua, Vindex, lumina! tanto
Turpe nec erubui prodere teste nefas!

2. Verùm age, sancta tuo constent ut fœdera nutu,
Firmaque veracem Te tua dicta probent:
Abiectum releva, meritàque exolve catenà,
Et posito obstrictam pignore solve fidem;
3. Vt quùm te temerè mens arguet impia, falsi
Insimulans; causà, Te superante, cadat.

4. Ah viden? ut cœpit teneris inolescere fibris
Insita primævo in semine nequities:
5. Vt mea me genitrix infectà finxit in alvo,
Et primi affricuit flebile crimen Avi.

6. Quod si nostra minus flectunt Te vulnera, flectant
Quæ mihi Dia tuus pignora prompsit Amor.
En arcto servata sinu tua munera: Patrum
Relligio, & Veri mens, sine fraude, tenax;
Hęc tenui, hæc quoq; Numen amas, hęc pectore ab imo
Ingeminant omni fortiùs ore preces;

7. Tu mihi, quæ divina sacris Sapientia fastis
Scripsit, & arcanà condita nube tegit,

1. *Asperges me hyssopo, & mundabor :*

2. *Lavabis me, & super nivem dealbabor .*

3. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam ,*

4. *Et exultabunt ossa humiliata .*

5. *Averte faciem tuam à peccatis meis,*

6. *Et omnes iniquitates meas dele.*

7. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis .*

1. *Ne*

Nudasti aperiens æternæ oracula mentis,
Fatidicà memini quæ cecinisse lyrà.
Ah ne tanta tuæ jaceant data munera dextræ
Ne pereant, Deus ò, me pereunte precor.

1. Eja age. ceu sacri mactatur victima libo
Sanguinis, hyssopi quo levis herba madet.
2. Haud aliter purà lustratum aspergine munda,
Et vincam intactas purior ipse nives.

3. Hoc mihi, Rex Superum, si præsens annuis; aures
Si certus veniæ sibilus impulerit:
4. Exilient artus, & quæ dejecta jacebant,
Excusso exilient protinùs ossa situ.
5. Interea fœdis dum sordibus intabesco,
Averte! ò nostris lumina criminibus.
6. Omniaque antiquę dele vestigia noxæ;
Ne labes oculos avocet ulla tuos.

7. O utinam possim cor imà evellere fibra;
Vt tota exturbem pectoris arce nefas.
Tu mihi cor mundum meliori sidere finge,
Atque animum recto, Dive, refinge typo.

1. *Ne proiicias me à facie tua,*

2. *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.*

3. *Redde mihi lætitiam salutaris tui,*

4. *Et spiritu principali confirma me.*

5. *Docebo iniquos vias tuas,*

6. *Et impii ad te convertentur.*

7. *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ*

8. *Et exultabit lingua mea justitiam tuam.*

1. *Do-*

1. Ne precor, ah, trepidum placido procul abiice vultu,
Quo procul, extinctà lampade Phæbe peris,
2. Neve sacram revoca divini Flaminis auram,
Quà sine, & ipsa sibi vivere vita nequit.

3. Redde animo, quam certa tui spes Vindicis affert,
Amissam fædo crimine lætitiam;
4. Neve iterum in præceps me lubricus urgeat error;
Det firmo Princeps Spiritus ire gradu.

5. Hinc reparans actos studiis melioribus annos,
Ostendam tutas ductor ad astra vias;
6. Et velut unguento fragrans potiore columba,
Quà graditur, socias, illice odore, trahit:
Sic tua de nostro spirans clementia vultu,
Ponè trahet refugos ad tua castra reos.

7. O' Deus, ò nostræ Deus auspex fide salutis,
Terge meas fædo è sanguine terge manus.
8. Exiliensque tuis mens tota in laudibus, omnes
Impendet resono flexilis ore modos.
Iustitiamque, Æqui flexam moderamine, dicam,
Firmatamque tui Numinis arce Fidem.

1. *Domine labia mea aperies,*

2. *Et os meum annunciabit laudem tuam;*

3. *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique:*

4. *Holocaustis non delectaberis.*

5. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus:*

6. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

7. *Benignè fac, Domine, in bona voluntate tua Sion;*

8. *Ut ædificentur muri Ierusalem.*

1. *Tunc*

1. At quæ digna tuo solvat tibi nomine laudes,
Assueta abiecto repere lingua solo?
Tu mihi districto deterge silentia labro;
Divino ut reboet vox animata sono.
2. Hæc Tibi promeritos persolvere carmine plausus,
Hæc potis una tuum tollere ad astra decus.

3. Si Tibi libato placuisset victima tabo
Et cæso fumans ara cruenta grege,
Mactassem pecorum centena examina, sed Te
Nulla juvat nostris hostia adusta focis.

4. Mens Deus est, hinc una Deum decet hostia mentis;
Quam mactet libo lacryma fusa suo.
5. Quod se demisso cor obterit undique fastu,
Elato haud spernes Dive supercilio

6. Eja age da nostris, proclivi pectore, Votis;
Altera ut exurgat celsior arce Sion;
7. Cui nec firmatos deturbet machina muros,
Sera nec Imperii nobile stemma dies.

8. Hìc potiore tibi surgent sacraria cultu,
Hìc ritu referet munera Mysta novo.

Tunc

1. *Tunc acceptabis sacrificium justitię, oblationes, & holocausta:*

2. *Tunc imponent super altare tuum vitulos.*

PSALMUS QUINTUS.

1. *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.*

2. *Ne avertas faciem tuam à me.*

3. *In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me*

4. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei,*

5. *Et ossa mea sicut cremium aruerunt:*

6. *Percussus sum ut fanum, & aruit cor meum*

1. Tunc læto aſpicies cumulata altaria nutu,
Et juſtà excipies Sacra litata manu.

2. Nam teneros, varioque auctos libamine tauros,
Fuſaque ſanguineo myſtica dona ſcypho,
Atque holocauſta focis abſumpta voracibus, una
Mactato implebit victima fœta Deo.

PSALMUS QUINTUS.

1. ANnue, Dive, meis, Superum Rex, annue votis:
Tangat & exundans Te meus ore dolor.

2. Ne miſerum averſo neglectum deſpice vultu,
Flecte aurem, quoties me ferus angor habet.

3. Anxia te quoties in opem ſuſpiria poſcunt,
Adpropera, & lentas diſcute Dive moras.

4. Nam velut aſſurgens vaneſcit in aëra fumus;
Sic mihi difflati diſperiere dies.

5. Vivificuſque meis exaruit oſſibus humor;
Sopito ut frigent torrida ligna rogo:

6. Imbelles languent lapſo mihi pectore nervi;
Æſtivo ut fæni gramina aduſta cane.

1. Sci-

1. *Quia oblitus sum comedere panem meum:*

2. *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.*

3. *Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nicticorax in domicilio:*

4. *Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.*

5. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei:*

6. *Et qui laudabant me, adversum me jurabant,*

7. *A facie iræ, & indignationis tuæ;*

8. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.*

9. *Quia elevans allisisti me.*

10. *Dies mei sicut umbra declinaverunt*

1.Scilicet aſſiduo pavi jejunia fletu,
Nec memini ſuetà ſiſtere fata dape.

2.Me meus exſuctis gemitus vorat artubus:atræ
Syndonis in morem contegit oſſa cutis.

3.Qualis Onocrotalus deſertis incubat antris,
Semirutoque ululat noctua mæſta lare;
4.Paſſer ut ex altà regemens vigil excubat æde;
Sic vigil,exul,inops,nocte dieque,gemo;

5.Interea probris me jugibus obruit hoſtis,
Cui,velut è vulgo fabula,ludus eram;
6.Quique meas olim celebrarunt carmine laudes,
In me juratas conſeruere manus.

7.Nam tua fulmineo dum me ferit obvia vultu,
Sanguineaſque oculis expedit ira faces,
8.Stratus humi,cineres, ceu panem dente momordi,
Explevique,genis imbre cadente,ſcyphos.

9.Scilicet excelsà,Vindex,me ſede locaſti,
Majori ut caderet noſtra ruina ſono.

10.Ah perii:ut densà Veſper caput occulit umbrà;
Ætas in noctem ſic mihi lapſa ſuam eſt.

1.Omnis

1. *Et ego sicut fœnum arui.*

2. *Tu autem Domine in æternum permanes,*

3. *Et memoriale tuum in generationem, & generationem.*

4. *Tu exurgens misereberis Sion; quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus;*

5. *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus;*

6. *Et terræ ejus miserebuntur;*

7. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine;*

8. *Et omnes Reges terræ gloriam tuam.*

1. *Quia*

1. Omnis &, exhausto jam sanguine, inaruit artus:
Fænea ceu trito marcet arista solo.

2. Ast Te, cui nullo labuntur sæcula fluxu,
Atque uno cingis tempora cuncta die,
Non carpit præceps, annis fugientibus, Ætas,
Immotusque idem semper, & ipse tibi es;
3. Nulla dies memori Te labens eximet ævo:
Ac tua discet Avo gesta docente Nepos.

4. Hinc velut excusso tergens oblivia somno,
In nostram exurges, auguror, unus opem.
Plurima depositæ tanget Te cura Sionis;
Nam tantam ut releves; admonet hora, vicem.

5. Scilicet ipsa tuos tangunt vel rudera servos,
Queis stetit erectâ mole superbus apex:
6. Dejectæque dolent urbis lacrymabile bustum,
Quod cæco assultans bellua calce terit.

7. Tunc, Deus, attonitæ sacrâ formidine Gentes,
Te magno augustum nomine ritè colent,
8. Ac Tibi, regnantes toto procul Orbe, Tyranni
Substernent flexo stemmata serva genu.

1. *Quia ędificavit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua:*

2. *Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.*

3. *Scribantur hæc in generatione altera,*

4. *Et populus, qui creabitur, laudabit Dominum;*

5. *Quia prospexit de excelso Sancto suo, Dominus de cęlo in terram aspexit:*

6. *Vt audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum:*

7. *Vt annuntient in Sion nomen Domini, & nomen ejus in Ierusalem:*

1. *In*

1. Scilicet excelsà Solymæ florentis ab arce,
Quam positâ Domini ſtruxerit Vrbe manus.
Conſpicuo Numen ſe majeſtatis honore
Spectandum, toto latiùs orbe, dabit.

2. Sic eſt. abiectos reſpexit ab æthere ſervos;
Nec refugà ſprevit devius aure preces.

3. Hæc mihi ſtent tabulis deſcripta fidelibus, oro,
Quæ nulla inflicto tempora dente terant;
4. Progenies hæc ſera leget, Regique, Deoque
Perſolvet laudes officioſa ſuas.

5. Namque ſuà Superum Princeps proſpexit ab aula,
Defixitque oculos pronus ab axe ſolo.

6. Audiat ut gemitus, quos vincti è carcere fundunt,
Servet & inſtanti Mortis ab ungue reos.

7. Servet: ut effuſum Solymæ per compita nomen
Magnaque divini Numinis acta canant,
Queis reboent, feſto plaudentes murmure colles
Tectaque, & ex omni Templa, Theatra tholo.

1. *In conveniendo populos in unum,*

2. *Et Reges ut serviant Domino.*

3. *Respondit ei in via virtutis suæ:*

4. *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi:*

5. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum.*

6. *In generationem, & generationem anni tui:*

7. *Initio tu, Domine, Terram fundasti, & opera, manuum tuarum sunt cœli:*

8. *Ipsi peribunt; tu autem permanes,*

9. *Et omnes sicut vestimentum veterascent,*

1. Hùc populos cætum lex unica coget in unum;
Vt caſto celebrent templa verenda pede:
2. Et formidati, poſito diademate, Reges
Regnantum Domino ſubdita ſceptra ferent.

3. Excipit hæc aliquis, cui vivida pectore virtus,
Ac dum tanta oculis cernere anhelus avet:
4. Dic, rogo, Numen, ait: noſtræ brevis orbita vitæ,
Quàm procul è tumuli limite, carpit iter?

5. Ah ne dum medium trepido tenet impete curſum,
Præproperà jubeas nocte referre gradum.
6. Te nullis arctant glomerati finibus anni,
Nec tibi decidui temporis unda fluit.
Occiduà ſurgentque, cadentque propagine proles,
Solus poſtgenitis Ipſe ſuperſtes eris.
O' mea Te referat laxatis finibus ætas;
Vt tanto interſim teſtis & ipſe choro.

7. Tu licet immotum nutu firmaveris orbem,
Artificique olim finxeris aſtra manu;
8. Hæc tamen interitus perdet; ſed præpetis ævi
Dìmoveat ſtabili te fuga nulla throno:
9. Hęc, velut annoſo detritum tempore ſyrma,
Primævum amittent, axe rotante, decus;

1. *Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur;*

2. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

3. *Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum in sęculum derigetur.*

PSALMUS SEXTUS.

1. *De profundis clamavi ad te, Domine,*

2. *Domine exaudi vocem meam:*

3. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meę.*

4. *Si iniquitates observaveris, Domine,*

1. Excutiesque novo squalentia tegmina mundo,
Vt nitidà excutimus tegmina trita domo;

2. Ast Tibi tu semper constas, immotus & idem es,
Nec premet ulla tuas cana senecta comas.

3. Sic famulis prognata tuis gens sera Nepotum,
Atque orta ipsorum è semine Progenies
Se tibi perpetuo sistat, Teque auspice, gressus
Dirigat æternus dum feret astra polus.

PSALMUS SEXTUS.

1. E Barathri caueà, fundoque voraginis imo,
Obrutus ęrumnis, sorde, dolore, situ;
Assiduisque urgens tacitum clamoribus axem,
Ad te, Rex Superum, vota, precesque tuli.

2. O, age, clamanti, Deus, annue: Te meus horror,
Ac tota abiecti Te rogat illuvies.

3. Ah precor, admotis, quas ipsa silentia pulsant
Auribus, hoc fusos excipe corde sonos:

4. Crimina si rigidę pendas examine lancis,
Et nutu, Censor tetriciore notes,

1. *Domine quis sustinebit?*

2. *Quia apud te propitiatio est;*

3. *Et propter legem tuam sustinui te, Domine:*

4. *Sustinuit anima mea in verbo ejus:*

5. *Speravit anima mea in Domino.*

6. *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.*

1. *Quia*

1. Quis ferat, ò, tanto plecti ſub judice? quis ſtet,
Obrutus immenſi mole ſupercilii?

2. Candida te miti ſtipat Clementia vvltu,
Et placido blandus lumine ſtipat Amor:
Illa tibi leni conſopit lumina nictu:
Hic jaculis mutat fulmina rapta ſuis;
Erigor his animo, atque omni ſuſpenſus ab aſtro,
Opperior facilè Numine certus opem.

3. Ignea lex, ſummo Sinę quę vertice, in omne
Iſacidum cudit flammea tela nefas;
Hęc quoque, Dive, tuo manantes pectore rores,
Supplicibus crimen ſpondet in omne reis.
Naufragus hac nitor tabulà; ne cęca profundi
Exuperans totum deprimat unda caput.

4. Nec minor ęterni mihi ſtat fiducia Verbo
Principis: hoc tellus pendula robore ſtat:

5. Hoc etiam meą ſpes pridem inconcuſſa recumbit;
Multa licet quatiat ſęva procella latus

6. Iſacidę primo redivivę lucis ab ortu,
Solicitas tacitę noctis ad excubias,
Anxia, ſpe freti, defigite lumina cælo:
Irrita ſpes votis haud cadet ulla ſuis

1. Sci-

1\. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio:*

2\. *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

PSALMUS SEPTIMUS.

1\. *Domine exaudi orationem meam:*

2\. *Auribus percipe obsecrationem meam:*

3\. *In veritate tua exaudi me in tua Justitia:*

4\. *Et non intres in judicium cum servo tuo;*

5\. *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

1. Scilicet undanti erumpens exuberat æstu,
Nec remeat refluo, ceu maris unda, freto
Implorata reis Domini indulgentia: fontes
Afferit effuso crimen in omne lytro.

2. Hæc, licet immenso curvent nos crimina fasce,
Devoveantque atræ proxima colla stygi,
Abrumpet miserans scelerum vincla omnia dextra,
Et dabit Isacidas tollere ad astra caput.

PSALMUS SEPTIMUS.

1. ARbiter omnipotens, sceptro qui concutis Orbem,
Hęc imo clemens excipe vota sinu.
2. Da precibus faciles, rorant dum lumina, nutus,
Et rigidum mitis pone supercilium.
3. Te Veri, Rectique tenax tua, Dive, Voluntas
Flectat, & hęc lacrymis annuat una meis.

4. Ne sistas metuenda tuum ad subsellia servum;
Dum celso virgam Pręses ab axe moves;
5. Namque hominum, uno si reputes capita omnia censu,
Quos modò vivifici luminis ardor alit,
Nemo est qui justus, Te Iudice, prodeat urnà,
Lustratusque tuo est lumine quisque nocens.

1. *Quia persequutus est inimicus animam meam:*

2. *Humiliavit in terra vitam meam:*

3. *Collocavit me in obscuris sicut mortuos Seculi:*

4. *Anxiatus est super me spiritus meus.*

5. *Memor fui dierum antiquorum:*

6. *Meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabor:*

7. *Expandi manus meas ad te;*

8. *Anima mea sicut terra sine aqua Tibi.*

9. *Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus.*

10. *Non avertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum.*

1. *Au-*

1. Aspice,ut adversis instans mihi viribus hostis,
Hoc petit, ignivomo dum furit ense, latus:
2. Sternit & hanc fędo proculcans pulvere vitam
Vilis ut obscęno sternitur alga solo;
3. Exanimem,profugum latrebosis infodit antris;
Vt cæca infossum flebile funus humo.

4. Torqueor infelix: sævo me turbine versat
Solicitos acuens anxia cura metus
5. Heu quid agam tanto miseri sub pectoris ęstu?
Quò ferar, angusto cymbula prensa freto?
Exactos memini, quos jam traduximus annos,
Signatosque notà candidiore dies;
6. Quin etiam assiduà, defixus, mente retracto,
Quę tibi sunt mirà gesta patrata manu.

7. Hinc animo supplex, passis ad sidera palmis
Quam misero spondes,invoco anhelus opem.
8. Qualis, pulvereos dudum quę pertulit ęstus,
Supplicat imbrifero torrida gleba Iovi.

9. Hei mihi,Numen opem, en animus cadit:ocyùs audi,
Et pede rumpe moras prępete, Numen opem:
10. Numen opem; averso si despicis ore rogantem,
Tænario referam funera mersa lacu.

1. An-

1. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam;*

2. *Quia in te speravi.*

3. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem;*

4. *Quia ad te levavi animam meam.*

5. *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi.*

6. *Doce me facere voluntatem tuam; quia Deus meus es Tu.*

7. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

8. *Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua:*

9. *Educes de tribulatione animam meam.*

1. *Et*

1. Anticipet mihi prona tuos Clementia rores,
Et matutino compluat imbre caput;
2. Namque animo aſſurgens mea ſpes te nititur uno;
Pendula nec voto decidet illa ſuo.

3. Errantis dudum per devia dirige greſſus:
Pande, ò, qua gradiar, Te prȩeunte, viam;
4. Nam velut incerto jactatus in ȩquore nauta,
Reſpicit arctoo ſydera fixa polo:
Haud ſecus ipſe oculos ad te, mentemque levavi:
Tu mihi Tu fidi syderis inſtar habes.
5. O,age,anhelantis me prȩripe faucibus hoſtis;
Ad te nam trepido confugit ore timor.

6. Arbitrium, mentemque tuis inflectere juſſis
Indocilem erudias; nam Deus ipſe mihi es.

7. Erigor, ò, tuus ipſe animos mihi Spiritus afflat;
Hȩc vehet in rectam Flaminis aura plagam.
8. Depoſito accendes redivivo lumine vitam;
Vt tuus, Æqui te Vindice, vivat honos.

9. Sic eſt. ſolicitis eductum Dive periclis,
Me tua inaceſſo conteget ulna ſinu;

1. Di-

1. *Et in misericordiâ tuâ disperdes inimicos meos,*

2. *Et perdes omnes, qui tribulant animam meam;*

3. *Quoniam ego servus tuus sum.*

Paraphr.

1. Disjiciesque omnes miserans è finibus hostes,
Ceu rapido frondes disjicit aura noto.

2. Insectansque gravi perculsos fulmine perdes,
Transadigunt sevâ qui mihi vepre latus.

3. Scilicet obsequio Tibi vinctus mancipor uni,
Et tua servili stygmata fronte gero.

Psalm. Pœnit. paraph.
Finis.

LAVS DEO.